









1670

1. Musckersrode, Tubis Niderst. : De recognitione facti
2. Carpzov, Augustus Bened. : De jure dividiendi, et
individui circa personas, res et actiones
3. Franckenstein, Christian Fridericus : De Fidei et Licio
Caesibus ex Tacit. lib I annal. CIII
4. Geslerus, Fr. Dr. : De intestato
5. Rothenberg, Adamus : De aetate honoribus et officio
; Duce
6. Romanus, Paulus Franciscus : De jure iuramentum testium
7. Romanus, Paulus Franciscus : De concurrentia iuris
dictionis
8. Romanus, Paulus Franciscus : De jure episcopali
protestantium
9. Romanus, Paulus Franciscus : De mercatura
10. Romanus, Paulus Franciscus : De medico.

1670

11. Romanus, Paulus Franciscus: De furtis
 12. Romanus, Paulus Franciscus: De obligationibus in
heredes tam a ctive, quam perine haeritoris
 13. Selymann, Balt. Frid.: De scripturis antiquae usque
late
 14. Schacher, Augustinus: De renunciationibus actionum
in dubiis
 15. Schacher, Augustinus: De actione subsidiaria: De
magistratus collegiis die.
 16. Schwendendaerfferus, Barth. Leonhardus: De annis
 17. Schwendendaerfferus, Barth. Leonhardus: De eo, quod
circa formale ac factale opponendasum exceptio-
num in iuris Romano German. ac Saxonice hodie
iustam est.
- 1671.
1. Seberti, Valentini: De coloniis

1671.

2. Fellnerus, Ludovicus : Media orthodoxiae religionis
inter excessum et defectum via.
3. Hitzerus, Jo. Christianus : De Laeodaeonorum } 1774
sed sensu rigore adversus peregrinos.
4. Kuehlerus, Georgius Quisilium : De antichristia.
5. ⁵⁹¹⁸ Merbitzger, Johann Val : De infantibus supposititiis
vulgo Wechsel Götzen 2 Bände
6. Rechenberg, Adam : Johannes Hus, martyr
7. Romanus, Paulus Franciscus : Prognosis, quae est
orationem solemnem, quam propter novam fundecta-
rum professionem propestem subeundam recita-
tura est, invitatio.
8. Romanus, Paulus Franciscus : De Senatus Consulto Vellegravi
9. Romanus, Paulus Franciscus : De bonis hereditariis

1671.

10. Schenckius, Johannes: De foeminarum conditione
11. Schenckius, Daerfferus, Barth. Leonhardus: De arbitrio
compromissario
12. Schenckius, Daerfferus, Barth. Leonhardus: De formulae
ae fatalis appellationum
13. Schenckius, Daerfferus, Barth. Leonhardus: De confessione
legitima.
14. Schenckius, Daerfferus, Barth. Leonhardus: De pactis
sea pactis
15. Schenckius, Daerfferus, Barth. Leonhardus: De jure
et facti ignorantia
16. Schenckius, Daerfferus, Georgius Tobias: Commentatio in
§. 1. §. 2. §. 3. Inst. de excusat. tutor vel
curator.
17. Schenckius, Daerfferus, Georgius Tobias: De duellorum varii
generis moralitate

7866.

1670, 15/6.

DISSERTATIO JURIDICA
DE

RENUNCIATIO.
NIBUS ACTIONUM
INDUBIARUM,

Quam

Divina Favente Gratia

Auctoritate atq; Permissu

Magnifici Jctorum Ordinis in Illustri

Academia Lipsiensi

P R Æ S I D E N T E

V I R O

Magnifico, Maxime Reverendo, Nobilissimo,

Amplissimo & Consulissimo

DN. QVIRINO Schachern/ Jcto & Cod.

Prof. Publ. Serenissimi Electoris Saxon. ab Appellat. Consili-

ario, Consistorii nec non Facult. Juridicæ SENIORE, Capitul.

Numburgens. Canonico, Academiæ Decemviro, undiqvq;

celeberrimo ac meritissimo

Patrono, Doctore ac Hospite suo atatem devenerando

publica disquisitioni exponit

Melchior Ehrenfried von Kreuzen/ Eqves Misn.

A U T O R,

In Auditorio Jctorum Petrino

ad d. 24. Martij Anno M DC LXX.

L I P S I Æ,

LITERIS JOHANNIS COLERI,

Alony



Præfamen

ad
Commilitones.

Quod fragilis atqve infirmæ adhuc
ætatis ingenii mei consilio ductus, ad Cathedram
Juris properem vitio, mihi non vertetis. Non
enim sit docendi, sed discendi causâ, non, ut velim
Palæstritam aut Promachum agere, sed ut Disci-
pulus tyrocinium aliquod edere, & à Vobis, Sva-
vissimi, lectissimiqve Commilitones, scire, an doctrinas & lectiones,
qvas mei Præceptores & Informatores mihi dederunt, rectè perce-
perim, & ad usum Practicum transferre addiderim. Corpus Ju-
ris quidem exhibet rerum divinarum atqve humanarum noticiam,
justi atqve injusti scientiam §. 1. 7. de J. & J. at in sola notitia atqve
scientia studium nostrum non debet consistere, sed insuper ad
praxin paulatim assuescere, qvem in finem mei Præceptores com-
monfaciendo soliti dicere: Omne tulit punctum, qui miscuit theo-
riam praxi. Haud itaqve eritis Censores rigidi, si in his, qvæ jam
dicurus, aliquando imbecillitate humanâ, non vitiligatoribus
modò, sed candidis etiam lectoribus deceptus videor, cogitabitis,
Generosi esse animi, malle, ubi gravioris nihil periculi ex lapsu me-
tuitur, cadere interdum, qvam metu illo, ne labaris, semper humi
jacere. Siquidem tentandum, qvi nunquam malè, nunquam benè;
Amabo Vos! DEUS autem meus Paraclata & Adjutor.

Quod verò ex multis nobilioribus Juris articulis pro pomo
Eridis selegerim materiam Renunciationum Actionum, habeo ra-
tiones sat grandes, sed domi, qvas hacce vice referre supersedeo. Sa-
nè si spectaveritis hujus formositatem, & quod suos amafios multis
secunditatibus beare soleat, ipsimet in ejus amorem & complexum
rapie-

rapiemini. Ut inde idem, quod egregius ille LL. vertex, Jurisqve
Conditor Ulpianus in l. 1. ff. de restit. in integ. pronunciat, meâ quidem
sententiâ, de hâc nostra in præsentiarum materia prædicare
possimus, nimirum eam commendatione non egere, Ratio, quoniam
ipsa se ostendit. Quis enim unquam negare ausus, libertatem
de rebus suis pro arbitrio disponendi maximoperè & auro
contra esse æstimandam? Nemo certè! quin potius ad corroborandam
hanc libertatem omnes gentes unanimiter stauerunt cum
L. 21. C. Mandat. quemlibet esse rerum suarum moderatorem, &
unumquemque commodis in sui favorem introductis renunciare
posse. l. si iudex 41. ff. de minor. l. 29. C. de pact. l. 51. C. de Episc. &
Cleric. hinc Cicero pro Balbo fundamentum libertatis vocat, sui
quemque juris & retinendi & dimittendi esse dominum, modò suum
non profundat, tunc enim alia adest regula, quæ major; Reipublicæ
interest, ne quis re suâ MALE utatur §. 2. Inst. de his qui
sui & c. Ubi autem nostra materia in Corpore Juris nostri sit quærenda
& inveniendâ, multis nondum constat. Illud præprimis præsciendum,
& non negandum est, eam non reperiri in horto Juris Publici, qui
habetur in ffis à Tit. 14. Libr. 49. de Jure fise. & in Cod. à Libr. X. usq;
ad finem lib. 12. Ubi autem in horto privato? Siquidem omnes ferè,
uno quasi ore clamitant, istam etiam neque in Jure privato certum
locum, fixamq; sedem habere. Verum mens mihi alia, demonstraturus
Vobis, mei Sodales, locum commorationis per commodum, tum in parte
communi, tum in parte propria. In parte communi agitur non solum
de actionum & jurium communium renunciationibus, sed etiam de
renunciationibus privilegiorum sive jurium speciatim uni vel alteri
concessorum. Si enim pertinet materia privilegiorum quoad
Constitutionem ad partem communem, prout omnes unâ me cum
confitebimini, pertinebit etiam ejus destructio ad eandem partem.
Solenne enim fuisse Imperatori, tradere materias, tum per modos
constituendi, tum per modos dissolvendi, edoctus sum à Præceptoribus
meis. Quis autem est, qui ignoret, renunciationem esse modum
destruendi privilegium. In parte propria Vos remitto in ffis ad tit. 5. lib. 46.
& in C. ad tit. 43. lib. 8. de Solution. & LIBERATIONIBUS. Quotus
quisque enim est, qui nesciat speciem liberationis esse renunciationem?

nem? adeoq̄ pertinere, & suam habitationem habere, inter
Communia Actoris & Rei, q̄ualis Obligatio & actio considerandæ,
tūm q̄uoad Constitutionem, tūm q̄uoad dissolutionem, q̄uibus de
à tit. fin. ff. lib. 44. 45. & 46. in C. à tit. 38. usq̄ ad tit. 54. lib. 8. inclusivè.
Si proinde contrariam opinionem foventes, hos titulos non limis,
aut fugitivis aspexissent oculis, nunq̄am fortassis statuisissent, re-
nunciaciones actionum in jure privato non certum habere domici-
lium. Eo ipso autem, dum assignavimus tit. 3. ff. lib. 46. & tit. 43.
C. lib. 8. duo consecutaria deducere possumus, nimirum 1. hanc ma-
teriam spectare ad tertium præceptum Juris sui cuiq̄ue tributionem.
zum Handel und nicht zum Wandel. & ob id 2. Rationem haben-
dam proportionis Arithmeticæ, personasq̄ue renunciantes non
esse ponderandas, & metuendas juxta trinas dimensiones, sed nu-
merandas, in tantum, ut sive sit Episcopus, sive balneator, idem
facere videantur, & æqualiter sint obligati ad observationes renun-
ciationum. Q̄uod secūds im Wandel / ubi coram hominibus s̄it
der Welt gerecht / & coram DEO heilig & piè vivere tenemur.
His ita prælibatis & indicatis ad ipsam materiam, q̄æsita sapientiæ
Divina, ut animi conatum gratiosè secundet, me accingo. Ut au-
tem, B. Lector, statim Tibi patefcat, quam mihi in hâc Disputatio-
ne proposuerim methodum, sine qua nihil rectè agitur C. 22. X. de
rescript. Tusch. Concl. 197. lit. O. n. 1. lubet eam in antecessum pau-
cis adumbrare, imitaturus sedulas apes, quæ flores ad mel confici-
endum idoneos carpunt, deinde q̄uicq̄ue attulerunt disponunt, ac
per favos digerunt. Constat hic noster discursus XI. Capitibus,
q̄uorum in 1. acturus sum de Renunciationibus Actionum Ety-
mologia, Polysimia, & Synonymia, in 2. de ejus Definitione, in
3. de Divisione, in 4. de Subjecto sive personis renunciantibus, in
5. de personis, in quarum gratiam renunciaciones fieri possunt, in
6. de Objecto, sive materia renunciabili, in 7. de forma, in 8. de
modis renunciaciones tollentibus, in 9. de effectu & operatione,
in 10. de affinibus renunciacionum, in 11. de renunciacionis con-
trariis & adversariis,

CAPUT

CAPUT I.
*Renunciationis Etymologiam,
 Polysimiam & Synonymiam exhibens.*

UTut & Grammatici & Philologi hanc partem disputationum sibi solam vendicent, aasserantq; istudq; non sine splendida ratione; Attamen quia noster Imperator Sacratissimus Justinianus primam suam regulam *in ff. l. 1. in pr. de j. & j.* facit hoc modo. Juri operam daturum, prius nosse oportet, undè nomen juris descendat, & hodiè Grammatici pariter ac Philologi etiamnum ad Scholam Imperatoris venire tenentur, aded, ut is, qui non fuit diligens discipulus Imperatoris, non diligens scrutator & indagator nominum Romanorum, nec pro perfecto Grammatico nec Philologo haberi possit, manebo propterea in via regia.

§. 1. Prout autem apparet ex Rubrica, ea ex duabus voculis Substantivis ad regulam Syntacticam est efformata. Una est composita, altera simplex.

§. 2. Renunciatio est composita à RE & Nuncio; Germ. Ich kündige ab/ich sage mich wieder los/ich verzeihe mich dessen. Quod ipso per vocabulum RE, quod triplicis significationis, & hic pro rursus sumitur, aliquid certi ac firmi, quod antea fuit, præsupponitur.

§. 3. Solemus equidem dicere in nostra vernacula lingua, cum nem den Kauff wieder auffsagen/ quando contractus nondum est omnibus numeris absolutus, sed hoc non est hujus loci.

§. 4. Vocabulum actio derivatur à verbo agere, & quidem à Supino actum, & hic non denotat eine Wirkung/ sed emphaticè legitimam perfectionem. Ein rechtmäßiges Klage- Recht/ oder Forderung.

§. 5. Quod Polysimiam attinet, varias vox renunciatio habet significationes.

§. 6. Significat enim quandoque arcanum deferre, quo sensu accipitur à Paulo *in l. 38. §. 1. ff. de pen.* quandoque pro relatione, quam mensores & architecti faciunt, uti ab eodem Paulo *in l. 40. pr. ff. de contrah. em. & ab Ulpiano in l. 1. pr. l. 5. §. 1. & 2. ff. si mens. fals. mod. dix. usurpatur.*

§. 7. Di-

§. 7. Dicitur etiam quandoque, renunciatum est probatio-
nibus & allegationibus, id est, in causa conclusum est. *Gail. Lib. 1.
Obs. 107. n. 4. Clement. Pastoralis de caus. possess. & propriet. It. accipitur
pro beneficii Ecclesiastici resignatione. Mascard. de probat. Vol. 3.
Concl. 1272.*

§. 8. It. dicitur renunciare suffragia, id est, proclamare eum,
quem suffragia denotarint. *Alciat. ad l. 40. ff. de V. Signif.* hinc dice-
bantur magistratus renunciari, qui clara voce præconis in campo
declarabantur: *Briffon, Lexic. Jur. in verb. renunciare.*

§. 9. Sumitur etiam pro nunciatione novi Operis *tot. tit. &
l. 16. ff. de Nov. Oper. nunciat.* Et aliàs quam plures habet significa-
tiones, de quibus Lexicographi videri possunt.

§. 10. Nos hic accipimus pro repudiatione actionum, alicui
ipso jure indubie competentium.

§. 11. Sicuti autem terminus renunciatio est polysimon, ita
& actio, quæ vox latissimè patet, ea enim omnem viventis opera-
tionem comprehendit *l. 21. §. fin. ff. qui testam. fac. poss.*

§. 12. Philosophis etiam est certa species prædicamentorum.
Actio dicebatur quoque id, quod unâ die in Synodo vel concilio
agebatur. *C. prima actione 16. quest. 3.*

§. 13. Sumitur etiam pro actu, hinc dicitur actio pia, id est,
pius actus *auth. hoc jus porrectum C. de S. S. Eccles.*

§. 14. Item formulam actionum, sive libellorum flag-dibell.
in l. 47. ff. de Negot. Gest. denotat.

§. 15. Porro accipitur pro Klag-Recht. & tunc vel strictissi-
mè, significatque actionem in personam, sive conditionem, actio
enim in rem specialiter petitio appellatur *l. 18. ff. de Off. A. l. 178.
§. 2. de V. S.*

Vel §. 16. sumitur strictè, & tunc petitiones in rem, & in per-
sonam complectitur.

Vel §. 17. Generaliter, & tunc complectitur stipulationes præ-
torias, *l. 37. ff. de O. & A. Accusationes l. unic. Cod. quando act. Civ.
Crim. præjud. Actiones populares, l. 12. ff. de V. S. §. 12. Inst. de Act.
persecutiones quasunque Implorationes officii Judicis non solum
mercenarii sed etiam nobilis, l. 178. ff. de V. S. quo sensu & nos hoc
loco accipimus.*

§. 18. Re-

§. 18. Renunciationis Synonyma sunt repudiatio, remissio, relaxatio, recusatio, refutatio, resignatio, absolutio. Germ. *Verzèhung / Begebung / Verzicht* / quæ tamen in quibusdam conveniunt, in quibusdam multis parafangis à se invicem differunt.

§. 19. Nolo hic amplius verbosus esse, sed ut uno verbo multa dicam & Te, Lector faventissime, quid velim, summatim certiorum faciam, disputaturus sum de renunciatione actionum jure mihi indubitanter competentium. *Von Verzichungen meiner habenden Klag-Rechte*. De quibus in sequentibus prolixius audiemus.

CAP. II.

De

Definitione.

Renunciacionem in genere definit *Daln. c. 1. n. 11.* quod sit cessio Juris pro renunciante introducti scienter & sponte facta. *Alciatus ad l. 40. ff. de V. s. hoc modo eam describit*, quod sit juris sui repudiatio.

§. 1. Sed ego non possum quadrata aptare rotundis & rotunda quadratis. Sufficiat mihi hac vice specialis consideratio renunciacionum actionum indubiarum maxime in foris Saxonis usitata, de his meus sermo.

§. 2. Admiratione autem non minima capior, quid in mentem venerit Germanis, quod à tempore reviviscentis & refflorescentis Juris Prudentiæ Justinianæ per aliquot secula nullus Germanorum Jctorum Jura Civilia & Canonica excoluerit, à seculo Christiano enim XI. usque ad seculum XV. video nullum Germanum, qui in Jure Civili enucleando industriam suam probaverit, omnes fuerunt (ad instinctum tamen & monitum Germani Jcti Irnerii) vel Itali, vel Galli, vel Hispani, prout videre licet de seculis ad secula, imò de annis ad annos apud *Johann Wolffg. Freymon. in sua Synphonia Juris Chronologica fol. 915. verè aurea, nec non Valent. Förster in sua appendice ad historiam Juris Romani.*

§. 3. Omnes quotquot mihi videre contigit, à seculo demum XV. in lucem prodire & horum potissimum authoritati meæ theses, quæ unice ad renunciaciones actionum spectant, sunt subnixæ.

§. 4. Quod

§. 4. Quod itaq; attinet renunciationis Actionum definitionem, difertis eaq; verbis nullam in Corpore nostro Juris invenio, qvā apud Dd tum Veteres tum Neotericos Germanicos maxime Saxonicos extant, vel ad meum propositum non quadrant, vel salivam qvandam mihi movent.

§. 5. Si mea qvadra vivere liceret, tentarem an hoc modo circumscribere possem: Est jus civibus Romanis habilibus ad hoc competens, ut à suis actionibus movendis legaliter, abire & discedere possint. Singula verba ad libram veritatis auream aliquantō exactiūs expendam, qvia singula verba, singula pondera, sed qvodlibet commodius suo loco, & prius recensitis speciebus renunciationum.

CAP. III.

De

Divisione Renunciationum.

Complures dari species renunciationum actionum, apud omnes in confesso est, sed non in uno loco junctā commorantur, sparsim sunt colligendā. Periculum faciam an omnes huc comportare possim.

§. 1. Dividitur verò renunciatio 1. in Generalissimam, qva renunciatur omnium actionum auxilio, Subalternam, qva certo generi actionum puta ob furtum undiq; qvæque competentium. Et specialissimam, qva certæ cuidam actioni, puta Rei Vindicatōni, Actioni Depositū &c. renunciatur. *Giphan. tract. de renunc. pag. m. 23. Bachov. ad Treutl. Vol. 1. Diss. 28. th. 5. lit. C. Beat. Carpzov. P. 2. (. 17. D. 1.*

§. 2. 2. Dividitur in Personalem & Realem; Personalis est, quando verba certam respiciunt personam, Realis est, quando verba in rem concipiuntur. *Wesemb. paratit. tit. de pact. n. 4. Menoch. Consil. 335. n. 37. Consil. 401. n. 102. Gail. lib. 2. Obs. 2. n. 10. § 61.*

§. 3. 3. Est vel Tacita seu Legalis, vel Expressa seu conventionalis; *Heinr. Bocer. ad 1. Digest. part. Diss. 9. tit. 1.*

B

tit. 1.

ib. 1. Legalis est, quando lex remissionem actionisve extinctionem supplet, exempla vide in l. 2. 3. 4. l. 27. §. penult. l. 30. §. 1. l. 57. ff. de pact. Jason. n. 28. Gail. lib. 1. Obs. 53. n. 16. in fin. Treutl. Vol. 1. Disp. 7. n. 17. hinc dicunt, quod, ubi quis sua actione non utatur, intra tempus prescriptum, ei renunciasse presumatur l. 1. ff. de mund. Gail. lib. 2. Obs. 60. n. 2. paria quippe sunt temporis lapsu vel renunciatione excludi. l. 1. §. 11. ff. de succ. Edict. Ant. Hering. tr. de fidej. cap. 28. Moll. ad Const. Elect. p. 2. C. 32. n. 41. maxime cum accedit actus contrarius l. 2. C. de jur. dom. impetr. Gail. d. l. n. 20. Menoch. Consil. 670. n. 5. 913. n. 34. licet tantum quoad istum actum, non quoad ceteros. quem sibi prejudicare, dicat Mascard. de probat. Vol. 111. Concl. 1213. ex actu vero indifferenti renunciatio non presumitur. l. si unus §. ante omnia ff. de pact. l. si dominus ff. de servit. urb. pred. l. si ex pluribus ff. de solut. Hartm. Pistor. lib. 1. quest. 42. not. 20.

§. 4. Ulterius 4. dividitur in judicialem & extrajudicialem. 5. in puram & conditionalem, demonstrativam, causalem modalem, easque 6. vel simplices vel mixtas, vel 7. in diem, vel ex die vel 8. in solo consensu constantes, vel 9. nudo pacto, Eoque vel legitimo vel convento, vel 10. verbis & stipulatione, vel literis, vel interventu rei, vel 11. jurejurando, vel sine eo firmatis ac corroboratis. Tam 12. in negotiis licitis quam illicitis, vel 13. in actionibus circa & propter res, easque vel 14. actionibus realibus, vel 15. mixtis, vel 16. personalibus, partim 17. ex contractibus veris 18. nominatis & innominatis 19. principalibus, & accessoriis vel 20. ex quasi contractibus, vel ex materia matrimoniali, tutelari & successione bonorum prodeuntibus, vel 21. ex quasi delictis, vel persecutionibus.

§. 5. Per judicialem non intelligo eam, quæ fieri debet ex
judicis officio, sumto vocabulo judicis, non pro giudice jus dicen-
te, aut pro judicante qualiter sumitur *in iur. Instit. de divis. stip.* Sed
pro loco iudicii sive juris, ubi jus redditur. Atque tales judiciales
renunciaciones sunt tutiores extra judicialibus, quandoque summè
necessariæ, præprimis quando actiones in iudiciis sunt vel natae vel
confirmatae: Eo enim modo quo quid collectum est, eo etiam dis-
solvitur debet. *l. 35. ff. de R. J.* Uti etiam jure Sax. renunciatio rerum
immobilium fieri non potest nisi judicialiter, nam quamvis Jure
Civili sive sint res mobiles sive immobiles, quocumque modo renun-
ciare queam, *arg. §. 2. hsf. de donat. l. 34. l. 35. pr. C. cod. Coler. Decis. 10.
n. 1.* Jure tamen Saxon. hoc non procedit. *arg. textus in Weichbild.
art. 20. Zobel. p. 2. diff. 28. n. 8.* Hinc etiam jure Saxonico resignatio
Feudi Germ. *Auffassung der Lehen/* non potest fieri nisi coram ju-
dice. *Coler. proc. Exec. p. 1. c. 10. n. 199. Hartm. Pistor. Obs. 230. n. I.
2. 7. Berlich. p. 1. Concl. 72. n. 48. 49. seqq. Finckelth. Obs. 44. per tot.*

§. 6. Atque hinc quoque exurgit nova divisio 22. inter
necessarias, & voluntarias renunciaciones; Nolens enim
renunciare suæ actioni in præmemorato casu judicialiter, subterfu-
giens vel sumptus, vel existimans, sibi que persuasum habens, ac si
satisfecisset suo Officio, si adversarium per quietationem extraju-
dicialem liberasset, potest is compelli à Judice ad hoc, ut insuper
liberet ipsum judicialiter. Sic quando renunciatio excedit quin-
gentos solidos insinuari debet judicialiter §. 2. *vers. Constitutio nostra
Inst. de donat. l. 36. §. 3. C. de donat. Finckelth. Obs. 116. n. 18. Riminal-
dus Conf. 164. n. 60.* Controvertitur autem de insinuatione renun-
ciationis juratae; & utut multi sint, qui negativam tueantur sen-
tentiam moti præprimis per *c. 28. X. de jurej.* quorum longum Ca-
talogum recenset *Finckelth. d. l. n. 21.* qui & ipse negantes sequitur.
Affirmativa tamen sententia verior videtur, cum non sit permitten-
dum per obliquum, quod directò fieri non debet, contra textum,
*cum quid una de R. J. in 6. l. 25. §. 1. ff. de tut. & cur. dat. & prohibi-
to uno omnia illa, per quæ ad illud pervenitur, sint prohibita c. præ-
terea de off. jud. de leg. l. 26. §. 28. C. de usur.* neque illi, quod pro for-
ma statuitur, renunciari queat, *textus & Dd. in avth. jubemus. C. de*

B 2
Judic.

Judicis, *Sichard. p. 10. n. 3. Felin. ad cap. si diligenti. X. de foro compet.*
quod Jure Sax. est indubium *Noviss. Decis. Elect. 26.*
§. 7. Hic cupio à Te, Lector benevole, erudiri, quid facien-
dum, si talis renuncians se offerret, ad renunciationem sive Quie-
tationem coram Notario & testibus: Scimus Notariorum instrum-
enta confecta habere auctoritatem publicam, cum Actis judi-
cialibus æquiparandam, *l. 20. C. de fid. Instrum.* Meâ sententiâ exi-
guâ, auctoritas Notarii stipati cum duobus testibus est quidem ma-
gna, splendorem habens ab Imperatore ipso, *Nov. Constit. 40. &*
Art. 3. n. 53. hinc dicitur fides Notarii & judicis æquipollere, & ha-
bere quandoque notionem in actibus voluntariis. *Carpz. Process. tit. 14.*
Art. 3. n. 53. hinc dicitur fides Notarii & judicis æquipollere, & ha-
bere quandoque notionem in actibus voluntariis. *Carpz. Process. tit. 2. art. 3. n. 54. & 65.* Interim tamen non est persona judicialis,
quippe qui saltem ad ferenda testimonia destinatus, hinc & judex
papiraceus & chartularius vocatur. *Gail. lib. 1. Obs. 1. n. 13. Matth.*
Steph. de Jurisd. lib. 2. p. 2. cap. 5. pr. Proinde etiâ ea, quæ fit coram
Notario & testibus pro extrajudiciali habetur. *Berl. Coucl. Pract.*
p. 2. concl. 43. n. 5. Maxim. Gausf. Conf. pro arario class. 4. concl. 268.
ord. 419.

§. 8. Alias renunciations regulariter sunt voluntariæ, sed ex
post facto necessitatis, prout ex præmemorato exemplo patet.
Quod alio paradiamate illustro *ex l. 2. ff. de his qui sui vel alien. jur.*
Ubi domini, servos & subditos duriter tractantes, possunt medi-
ante magistratu compelli ad hoc, ut bonis conditionibus vendent
eosdem aliis, omnique juri suo in eos renuncient.

§. 9. Porro & alia emergit divisio, 23. inter perfectas &
omnibus numeris absolutas, sive consumatas
renunciations, & imperfectas sive sufficientes & in-
sufficientes. Sic quando tutor pupillo suo rationes reddidit
sufficientes, ita ut nihil remanserit, quod pupillus à tutore petere
possit, tenetur pupillus ex necessitate juris tutorem Quietare co-
ram eo, à quo est constitutus, *l. 35. ff. de R. J.* nec sufficit, si eum vel
extrajudicialiter, vel in suo judicio liberaverit, semper enim dicere
potest, nondum sum perfecte liberatus, quo modo quicquam con-
futum, eo etiâ dissuendum. *d. l. 35.*

§. 10. Item 24. inter concessas, & prohibitas, five
vetitas 25. inter validas & invalidas, nec non 26. in-
ter universales totales, & partiales & singulares.
27. inter restrictivas seu limitatas & illimitatas.

§. 11. Extrajudiciales sunt, quæ fiunt vel faciendæ sunt extra
locum iudicii, ita tamen, ut multum intersit, præsentibus vel re-
motis testibus, vel alterâ parte in cuius commodum renunciatio
vergit, an sit facta nec ne. Renunciatio enim debet acceptari ab
eò cui fit. l. 10. ff. de donat. Menoch. Cons. 380. n. 27.

§. 12. Nihil verò refert, fiat vel die vel in tenebris, summo ma-
ne & diluculo, vel luce meridiana; nocturne intempesta, inter pran-
dendum, coenandum, imò & pocula, modo contrahentes non sint
nimis inebriati, vel diebus festis, vel profestis, solemnibus, minus so-
lennibus, & incidentibus, tempore nundinarum, Vindemiarum,
messium, hostilis incurfus, incendi, ruinae, naufragii, tumultus, obfi-
dionis, rebellionis, belli vel pacis, terrâ, mariq; in locis peregrinis,
Romanis, sacris, sanctis, religiosis, publicis, communibus, privatis,
tum Universitatum, tum singulorum.

§. 13. Dixi tam judiciales quàm extrajudiciales esse vel puras,
vel conditionales, vel demonstrativas, vel causales, vel modales, sim-
plices, vel mixtas ordine id sum demonstraturus. Qui enim vult
jus suum remittere, in ejus voluntate residet, illud vel purè vel aliò
limitatò modo remittere, cum quilibet sit rerum suarum modera-
tor & arbiter l. 21. C. mand. non solum in jure acquirendo, sed etiam
in jure quæsito renunciando, & iterum amittendo, quò de passu
mea est instituta disquisitio.

§. 14. Si itaq; renuncians sibi met ipsi terminum certum non
præscribat, sed indeterminate suo juri renunciatis, is, purè renunciasse
èreditur, ad exemplum omnium obligationum monente, Impera-
tore Justiniano in §. 2. Inst. de V. O. l. 1. pr. ff. de cond. & demonstr. è con-
tra si conditionem apponit, & vel sibi vel ei, in cuius favorem re-
nunciat disjunctim, vel conjunctim, conditionalis est renunciatio,
& non prius obligat, vel alteri jus facit, priusquam eveniat & puri-
ficetur, cum ea nihil ponat in esse l. 8. ff. si quis omiff. causa test. l. 1. ff. de
legat.

legat. l. 1. §. 3. ff. ad L. Falc. l. 19. ff. quānd. dies. leg. ced. c. g. Si consul, hu-
jusq; vel illius successor, vel in officio vel in bonis futurus.

§. 15. Sunt autem Conditiones non uniformes, quædam enim
possibiles sunt, quædam impossibiles, Paulus 3. sentent. tit. 4. Quædam
possibiles vel impossibiles sunt naturâ, quædam Juris dispositione,
quædam Facto, quædam Perplexitate verborum.

§. 16. Naturâ impossibiles sunt, v. g. si digito cælum attinge-
ris, si mare ebiberis. §. 10. Inst. de inutil. stipul. l. 7. ff. de V. O. Juris dispo-
sitione impossibiles sunt omnes, quæ turpes & inhonestæ sunt. arg.
§. 23. Inst. de inutil. stipul. ut si adulterium, sacrilegium, commiseris,
si uxoris usum ad triduum concedes, si Titio ædes combures. l. 26.
123 ff. de V. O. Id enim posse dicimus, quod honestè possumus. l. 15.
ff. de condit. Instir.

§. 17. Facto impossibiles sunt conditiones, quæ in se quidem
possibiles sunt, fiunt tamen impossibiles, vel ob conditionem per-
sonæ, vel temporis. Sic ire Lipsiâ Dresdam, possibile quidem est,
sed pedibus destituito vel intra horam impossibile est. Vel tandem
perplexitate verborum, si ita perplexam quis apposuerit conditio-
nem, quæ nullum sensum pariat. l. 16. ff. de condit. Instir.

§. 18. Demonstrativa renunciatio est, quæ fit demonstratione
vel verâ vel falsâ, v. g. Si renunciâns dicat, huic renuncio actioni,
quæ mihi jure hereditario à Titio obvenit. l. 6. ff. de leg. 1. Cujac. 2.
Observ. 39.

§. 19. Causalis potest esse ob causam veram vel falsam, v. g.
quia uxor mea amorem conjugalem mihi exhibuit, remq; familia-
rem ampliavit, quæ vel ex eventu talis, vel prodiga, adulterix, segnis
reperta. l. 17. §. 2. ff. de condit. & demonstr. Sive autem sit impulsiva, sive
finalis, parum interest, sive etiam vera, sive falsa & erronea.

§. 20. Modalis, vel modificata renunciatio est, cum modum,
sive certas leges conjunctim, & separatim, præscribo renunciatiõni
meæ v. g. ut filium suum in bellum navale ad tres annos mittat, hinc
locutiones istæ, hæc conditione, mit die ein Beding und Bescheiden-
heit/dasß er die Schüler jähelichen so und so oft speisen soll. Et hæc
omnia omnino sunt adimplenda, tor. tit. C. qui sub modo. l. 17. in fin. ff.
de condit.

§. 21. Illud tamen notabiliter observandum, inter modales &
condi-

conditionales renunciaciones. In conditionalibus ante existentiam conditionis, neque dies cessit, neque venit l. 213. ff. de V. S. l. 14. ff. de V. O. l. 37. ff. de contrab. emt. Thezaur. decis. 270. n. 22. Rol. à Valle. consil. 58. n. 18. lib. 3. ita ut non existente conditione renunciatio non valeat. Richt. p. 1. Conf. 32. n. 84. In modalibus verò statim cedit dies, & renunciatio firma est, sed renuncianti caveri debet, quod renunciaturus modum præscriptum ex assè observare velit. l. 20. §. ult. ff. de manum. testam. l. 41. ff. de contrab. emt. l. 19. ff. de leg. 3. l. 40. §. ult. l. 80. ff. de condit. & demonstrat.

§. 22. In diem, vel ex die, eumque vel certum vel incertum capiuntur quoque renunciaciones. Si dies sit certus, statim firma est renunciatio, l. 1. §. 1. ff. de condit. & demonstrat. l. 21. ff. quand. dies legat ced. l. 44. §. 1. ff. de O & A. l. 42. ff. de V. O. l. 9. pr. ff. de reb. cred. l. 213. ff. de V. S. in incertum verò diem facta, non aliter valet, quam si is extiterit. l. 21. quia is pro conditione est, l. 1. §. 2. l. 75. ff. de condit. & demonstrat. v. g. si quis dicat, usuras sortis mihi debita, post tres annos in tres annos tibi remittam, fortem verò usque ad hoc vel illud tempus, hac tamen conditione, ut filium tuum natu majorem in peregrinas mittas regiones.

§. 23. Constant porò renunciaciones vel in solo consensu, vel fiunt per pactum nudum, vel pacto convento; Quod etiam mediante transactione fieri possint, nullum est dubium, quando actiones sunt dubia vel mota, hærentes, vel in 1. vel in 2. instantia, vel movenda, vel de futuris contingentibus, prout sunt illa filiarum renunciaciones, quibus tot. tr. conscripsit Breulæus. Sed de hisce speciebus hæc vice agere nolo. Spinae sunt, peculiarem desiderant tractationem. Globus indubiarum, & illitigiosarum actionum est per se valde magnus, si pensum hoc statim absolvero, sat actum habeo.

§. 24. Pacto nudo fieri dicitur, si alter nihil reponit. Pacto convento fit, vel verbis & stipulatione, per mutuam interrogationem & responsonem. §. 2. Inst. de V. O. Si alter renunciantem interroget, huic ne actioni renuncias? alterve affirmet. d. §. 2. Vel literis, si interventu literarum renunciacionem fieri debere partibus placuerit Schneidevv. ad tit. Inst. de V. O. n. 4. vel interventu rei per extraditionem realem chirographorum, & reliquorum documentorum ad actionem necessariorum,

§. 25. Sæpè etiam renunciatio intercedente jurejurando fieri solet. Nam licet juramentum ipso jure invalidas conventiones non firmet, ne fiat vinculum iniquitatis. *l. 5. C. de L. l. 7. §. 16. ff. de pact. cap. Contingit de jurejur. in 6. actus* tamen alias validos magis confirmat, illisq; robor addit. *l. 14. C. de transact.* hinc etiam in renunciationibus sæpè adjicitur, ut eò magis obstringatur renuncians, quando debitor subolet, aut timet pœnitentiam renunciantis.

§. 26. Imò non rarò hoc efficit juramentum, ut renunciatio, quæ aliquo modo elidi possit, ob jusjurandum prælitum rescindi nequeat. Sic minor simpliciter renuncians, si aliquo modo sit lætus, in integrum restitutionem petere potest. *l. 1. tit. iii. ff. de minor. & C. de in integr. restit. minor.* quod si verò simul juret, tutus erit is, cui renunciatur *auth. Sacramenta C. si adversus vendit. l. 3. C. si min. se maj. dix. Schneidev. ad §. 11. Inst. de Act. n. 5. Treutl. Vol. 1. Disp. 26. §. 2. lit. 6. ibiq; Bachov. Gail. Lib. 2. Observ. 41.*

§. 27. Quæri hic potest, utrum promissio sub fide apud Principes bey Fürstlichen Treuen und Glauben vim habeat juramenti? Et utut multi sint qui negant, neque diffidendum, inter hæc duo magnam esse differentiam, quando privatus super contractus obseruantiam invocat Nomen Divinum, & quando summi Principes, DEUM in terrâ præsentantes, sub privatione honoris, fidei, & æstimationis, aliquid vel nomine publico vel privato promittunt: Affirmandum tamen videtur tum per textum *in c. ad aures X. de his quæ vi metusve causa, & in c. pervenit X. de fidejuss.* nullaque differentia inter fidem prælitam, & juramentum fidelium esse debere *per c. 13. c. 22. quest. 2. & c. 12. c. 22. quest. 5.* tum etiam, quod nemo sub fide Principis sit decipiendus, imò & propter receptam Germaniæ consuetudinem, ubi hæc formula frequentissima, eisdemque effectus, quos corporale privatorum juramentum parit, de quâ consuetudine testantur *Gail. lib. 2. Obs. 59. n. 4. Myns. Cent. 1. Obs. 17. Coler. Prac. Exec. p. 1. c. 10. n. 254. Treutl. Vol. 2. Disp. 21. rh. 1. Beat. Carpx. P. 2. C. 26. D. 9. Richt. p. 7. Conf. 66. n. 21.* nisi specialiter corporale juramentum requiratur, tunc enim æquipollens juramento non sufficit, sed corporale requiritur. *Treutl. & Carpx. d. l.* Licet verò promissio hæc eisdem effectus habeat cum juramento: *So wahr GOTT mir helfen sol /* quoad obligationem non

non tamen idem operatur quoad pœnam, hinc contraveniens non est perjurus nec absolute à jurejurand. indiget. *Carpov. p. 2. C. 36. D. 10.*

§. 28. Vel fit renunciatio sine jurejurando, quando nullum juramentum accedit, sed nudis conventionibus statuitur, *caus. 22. quest. 1. per tot. & cap. 2. X. de pact. in 6.*

CAPUT IV.

De

Subjecto sive Personis Renunci- antibus.

Q Via hoc jus in persona renunciantis radicatum est duntaxat, multum & longè distans à juribus Personarum, personis in personas competentibus, quale jus competit, patribus, tutoribus, curatoribus. Nec contra personas passivè sive onerosè, sed pro commodis ac emolumentis eorum, qui possunt judicio pulsari, vel dica scribi. Neque meum hic est agere de renunciatione actionum, quæ fit juncta translatione actionum, de persona in personam, quod fit mediante CESSIONE, sed mera debiti remissione, sine translatione ulteriori.

§. 1. Sic quædam jura pro personis sunt vel adimibilia, vel inadimibilia *tot. tit. ff. de adm. & transf. legat.* Quædam sunt inadimibilia, reluctantè altero, & de hisce renunciationibus nequaquam ago. Quæ enim per se sunt revocatoria, nostriq; arbitrii, ea non indigent renunciatione, quippe quæ aliquid firmitatis præsupponunt. Hinc legatario potest in ultimâ voluntate relictum legatum ex mera voluntate testatoris adimi. *pr. hist. de adempt. legat. l. 3. §. 2. l. 13. l. 16. ff. cod. l. 17. C. de legat. Ludvv. & Harpr. ad d. pr. Inst. Struv. Synagm. Jur. Civ. th. 81. cod.* Sed de testatore non rectè dicitur, quod renunciaverit suo juri, sed quod ademerit. Adimere namq; & renunciare suo juri sunt diversissima, multis parasangis distantia.

§. 2. Ast cum renunciare sit de genere permissorum, ubi nemo arcetur, nisi qui prohibeatur, *arg. l. 43. ff. de procurat. liberumq; fit cuiq; favori pro se introducto renunciare l. 41. ff. de min. l. pen. C.*

C

de

de pact. ubi Iason & Da. comm. Abbas conf. 72. videtur primo col. 2. vers. sed iis minime obstantibus lib. 2. Finckelb. Obs. 107. n. 8. Dalner. c. 7. & 8. Menoch. conf. 57. n. 15. Conf. 80. n. 4. Myns. respos. 1. n. 37. vers. constat. Tirraguel. de retract. consangu. in fin. n. 26. In tantum, ut nemo efficere sua dispositione queat, quominus alius favori suo renunciare valeat. l. 90. §. 1. testatur. ff. de legat. 2. l. 17. ff. ad L. Falcid. ubi gloss. & Alex. ff. ad L. Falcid. & Da. in l. si quis in conscribendo C. de pact. Hinc quilibet habilis ad renunciandum præsumitur, nisi contrarium asseverans istud probaverit.

§. 3. Sunt autem nonnullæ personæ inhabiles, vel Natura, vel Lege. Et utroq; modo vel in totum, vel in tantum.

§. 4. Prohibentur in totum ii, qui consentire, quive alienare nequeunt. Huc refero infantem, sumto vocabulo Juridice pro eo, qui septennio est minor, quia is rectæ rationis usu, ad res suas administrandas necessario, uti haud valet. l. 1. C. de fals. monet. It. impuberem, cuius consensus, uti nec aliàs est sufficiens, ita nec hic sufficit. arg. l. 43. ff. de Obl. & Act. ejus tamen renunciationem, si sit doli capax juramento firmari tradunt. Bart. Salyc. & Ias. in auth. Sacramenta puberum Cod. si advers. vend. Harim. Pistor. lib. 4. quest. 6. not. §. lit. C. nec tamen tam strictè puto requiri pubertatem, cum quod pubertati proximum impediatur renunciare, nihil sit. Gloss. in auth. Sacramenta. C. si advers. vendit. quod si tamen læsus deprehendatur, in integrum restitui poterit l. 2. C. si advers. vend. l. 7. §. 4. ff. de min. l. 51. ff. procur. l. 1. §. 2. ff. si ut omis. hered. l. 24. §. 2. ff. de min.

§. 5. Furiosus hinc quoq; arcetur, ut pote qui nec verum consensum l. 12. §. 1. ff. de judic. nec voluntatem l. 40. ff. de Re. J. Felinus in c. dilecti filii n. 12. & 13. de except. Jul. Clar. in Pract. §. fin. quest. 60. vers. sed hic quæro, ne dicam iudicium firmum habet l. 14. ff. locat. quæ de causa Latinis amentes, dementes, Germanis unsinnige audiunt.

§. 6. Hilo vix distant mente capti, quos plebei ordinis Alber/ Alber-witzige/honestiores Blöde nuncupamus, Schneidew. ad §. furiosi Inst. de Curat. n. 9. his Imperator in l. 9. vers. fin. verò C. de impub. & aliis substit. opponit sapientes, hi, cum tanti iudicii non sint, ut rebus suis superesse possint utiliter. §. 4. Inst. de Curat. §. 1. Inst. de pupill. substit. l. 17. ff. l. 9. C. qui test. fac. poss. nec renunciare poterunt.

§. 7.

§. 7. Furiosis comparantur prodigi l. 1. ff. de Curat. fur. dand. l. 40. ff. de R. J. l. 6. ff. de V. O. l. 7. §. 12. ff. quibus ex causis in possat l. 70. §. 4. ff. de fidej. Bach. ad Treutl. p. 2. D. 28. th. 3. lit. d & cum his bonorum administratio sit interdicta l. 10. ff. de Curat. furios. l. 9. §. 7. ff. de reb. cred. & renunciatio sit alienatio, quid de illis sit statuendum patet.

§. 8. Prohibetur quoque ebrius, cum ebrietas mentis inducat exilium, libertatemque voluntatis impediatur c. à crapulâ extr. de vita & honest. cler. ut inde neque contrahere multo minus renunciare possit. l. 1. §. furiosus & §. seq. ff. de O & A. c. venter. §. dist. 35. c. sanè 7. & c. inebriarunt 9. caus. 15. quest. 1. cum & matrimonium ab ebricio contractum sit invalidum. arg. l. 30. ff. de R. J. VVelenb. paratit. ad tit. de Rit. N. n. 8. Joban à Beust. de Sponsal. cap. 11. Didac. Cavarr. in epit. de matr. p. 2. c. 2. n. ult. It. Ignorans jus, quod sibi competere ignorat remittere & sibi præjudicare nequit. l. 19. §. 21. ff. de inoff. test. c. veniens. de jurejur. l. legitimam ff. de pet. hered. Francf. Aret. ad §. abesse n. 11. fol. 125. col. 1.

§. 9. Et Dubitans, qui comparatur ignorantanti, It. errans, cum nihil tam contrarium sit consensui, errore. l. 12. ff. de novat. l. 15. ff. de Jurisd. l. 55. ff. de O. & A. l. 76. §. 116. ff. de R. J. Tiber Decius cons. 10. n. 77. usq. ad fin. Vol. 3. Menoch. cons. 86. n. 13. & 94. cum seqq. Richt. p. 6. c. 3. n. 40. fol. 56. It. dolo captus, hic enim non consentit, c. quamvis de pactis in 6. Iason. in auth. Sacramenta. n. 29. Cypræus in tract. de connub. jur. p. 1. c. 13. & 58. Gail. lib. 2. Obs. 2. n. 6. Hartm. Pistor. p. 1. quest. 23. n. 3. Bartol. & Dd. ad l. 13. ff. de min. metu inductus, metus enim cum consensu pugnat l. 116. ff. de R. J. l. 1. l. 2. l. 3. l. 5. l. 8. & seq. ff. de eo quod met. causa. l. 3. §. proinde verò ff. de vi & vi armata. Althusf. Di. cæolog. lib. 1. cap. 11. n. 6. It. iracundus, quippe ira furor brevis est. Farin. par. 3. q. 91. n. 40. Gail. lib. 2. obs. 106. n. 12. Rimer. Dec. 2. q. 7. Richt. p. 1. D. 1. n. 161. fol. 30.

§. 10. Quantumvis verò hi plerique non possint ipsimet renunciare, tamen per Curatores, tutores, aliisque remediis eis subvenitur. l. 1. l. 6. l. 16. ff. de Curat. fur. l. 12. ff. de tut. & Cur. datis. Sic infans ad renunciandum est inhabilis, defectus tamen hic per tutorem suppletur. Surdus quoque & mutus conjunctim, licet verbis suo juri renunciare non valeat, si tamen nutu vel literis sui animi sensa edere queat, defectus hic facile suppleri poterit, l. 10. C. qui testam. fac.

poss. Treutl. Vol. 2. Disp. 10. §. 3. lit. E. Hillig. in Donell. enuel. lib. 6. c. 5.
lit. R. Brunemann. ad l. 10. C. qui test. fac. poss.

§. II. Sicuti autem iura succurrerunt hominibus, quoad defectum voluntatis & consensus, ita modos & media excogitarunt, quomodo facultati subveniendum, inopiam sustulerunt, virium, imbecillitatem confortarunt, arg. tot. tit. ff. de bon. poss. Furioso mente capto, infanti, cæco, muto, surdo competenti, & absentibus quoque in distitis regionibus commorantibus, divitibus, ac pauperibus, flagitiosis æque ac probis auxiliatrices porrexerunt manus, ne quisquam indefensus maneat. l. 1. §. 2. ff. ex quib. caus. maj. l. 28. ff. eod. l. 1. §. 1. & l. 5. ff. de jur. & fact. ign. tot. tit. ff. de cur. fur. dand. l. 1. C. qui adm. ad bon. poss. & tot. tit. ff. de in integr. restit. & tit. seqq.

CAPUT V.

De

Personis, in quarum Gratiam renunciationes fieri possunt.

Cum personis, in quarum gratiam renunciationes fieri possunt, longe aliter se res habet.

§. 1. Non enim video rationem, quare tantopere sudare, & in qualitatem talium personarum sollicitus esse debeam, cum non pauci sint, qui dubitent de necessitate duplicium personarum, & existimare soleant, unam ad renunciationem sufficere personam, nimirum solum renunciantem, & quod nudâ renunciatione etiam nemine eam acceptante, fiat quodammodo liber ab actione debitor.

§. 2. Verùm cum non per ventus assa veniat columba, sed ad minimum os aperiendum vel cum gratiarum actione accipienda, duas propterea personas ad renunciationem necessarias esse, intrepidè affirmo. Verba siquidem in auram sparsa, sunt & manent verba, nemine ea acceptante, & fulmina ex pelvi nullam operationem habentia. arg. l. 10. ff. de donat. Menoch. Cons. 380. n. 27. Bald. in l. suis C. de repud. hered. Bart. in l. unic. ff. de offic. consul. Curv. Sen. in consil. 7. n. 1. Hippolyt. in rubric. C. de probat. n. 126. nisi emissa sint ad boni publici vel Ecclesiastici vel Politici conservationem, vel

vel ampliationem reddituum, quod specialem habet rationem, & incidit in materiam votorum & pollicitationum, ubi sunt firmiter obligatoria, quibus de *in tit. ff. de pollicir. c. 6. 7. de votis Bach. in not. ad VVes. Vinn. de pact. c. 1. n. 10.* Quamquam autem ejusmodi vota & pollicitationes hodie sint rarissimæ, nigro quæ simillima cygno, ut Phoenix tamen quandoque apparent.

§. 3. Hic quæres, suspicor, ex me, quid sentiam de renunciacionibus actionum in testamentis & ultimis voluntatibus factis? me enim non inficiaturum, fieri etiam posse renunciaciones inter mortuos, æque ac inter vivos, & tamen ad ultimarum voluntatum confectionem, unicam saltem requiri personam, nempe testatorem *l. 32. ff. de hered. instit.* Sed & Videtur quidem renunciaciones testamentarias esse unius promissum; Verum, cum testamenta non nisi testatorum demum morte vim & robur suum consequantur, & præterea aliquis accedat, qui ultimam voluntatem agnoscat, & se ad observantiam quasi contrahendo obstringat, *§. 5. Inst. de Oblig. ex quas. contr. l. 5. §. 2. ff. de O. & A. l. 3. §. ult. & l. seq. ff. quib. ex causis in poss. ear.* Idcirco animadvertet quilibet, & hic duas personas esse necessarias, unam renunciantem, alteram amplectentem eam. Cum ovum ovo non tam simile, quam patrum liberatorium, & renunciatio. Ecquis tamen ignorat, ad pactum duas personas esse necessarias, *l. 1. §. 1. ff. de pact. l. 7. §. 1. 2. ff. de pact.* Unam liberantem, alteram liberatam?

§. 4. Exinde verò, quod taliter liberati, liberandive, semper videantur suam conditionem facere meliorem, satis superque constare puto, quid statuam, sentiamve de qualificatione talium personarum, cum quilibet, & fatuus, & infans, sua commoda promovere possit, citra alterius auctoritatem & consilium *pr. Inst. de auctorit. tut. & Curat. l. 11. ff. de acquir. rer. dom. l. 9. ff. de auth. tut. l. 7. §. 1. ff. de contrab. stip. l. 1. C. de author. presb. qui enim sibi prospicere valet, alienam non indiget opera & consilio. arg. §. 6. Inst. de Avil. tut.* Quod si tamen quis melioris cautionis causa alienas accessere manus velit, quis vellet eidem resistere, aut reclamare? nam ut Germani dicunt: Wohl oder besser thum/ist niemand verbothen.

§. 5. Illud majorem circumspectionem desiderat, si fortassis liberatus per cautiones, aut modos adjectos posset prægravari, ut

ex inconsultâ acceptatione, maximè si renunciatio fieret in testamento, durioribus adjectis conditionibus incommodari queat. Quare monitum ac consilium Justiniani Imperatoris in *pr. Inst. de auctor. tut.* erit adhibendum, cum etiam in valde apparenter lucrosiis damnum faciliè incurrere queamus præsentissimum. *Ulp. in l. 4. in f. ff. ad Senat. Consult. Trebell. l. 20. l. 38. ff. de acquir. hered.* Quæ de causâ pro qualitate renunciationis vel damnosæ vel lucrativæ, res erit moderanda, uti ex seqq. luculentius apparebit.

CAPUT VI.

De

Objecto sive materiâ renunciabili.

OMnis renunciatio versatur circa jus renunciabile. *Dalner. de renunc. c. 6. n. 1. Finckelt. Obs. 107. n. 6.* Habeo autem hîc præ oculis & manibus non generalem renunciationum materiam, quæ ita diffusa & involuta, ut vix principium, finemve invenire possis, sed prout ex inscriptione patet, certam quendam speciem renunciationum, nimirum actionum, & quidem certarum, & nondum in judicium deductarum, vel mox movendarum.

§. 1. Ut autem intelligas, quid per voculam actionum innuam, breviter & uno verbo scito, me sumere hanc vocem, prout supra quoque dixi, pro omni persecutione, juxta *l. actiones 34. de V. S.* quatenus non solum judicis officium mercenarium, sed etiam nobile imploramus *l. 17 §. 2. ff. de V. S.* id est, ut vel ipsa pars adversa aliquid faciat, & restituatve, vel ipsemet judex. Puta ut inquirat in delictum, Haus-Suchung thue / contractum, sponsalia pro nullis declaret, testamentum inofficiosum pronunciet, actum, factum, pactum, transactionem meticulosam, dolosam, minore, capite minuto, absente reipublicæ causâ, ut milites læso, negotium rescindat. *tot. lib. 4. ff. de restit. in integr. locum, ubi damnum infectum timeatur, inspiciat tot. tit. de damno infecto. Siehard. ad Cod. tit. 54. lib. 2.*

§. 2. Nec solum intelligo actiones circa res, & vel reales, vel mixtas, vel personales, quarum hæc à lib. XII, usq. ad lib. XL, ille in lib. X. 5

X & XI. ista in lib. V. à titulo 2. usq. ad lib. X. tractantur; vel circa personas, quibus de in lib. XL. vel etiam circa possessiones; (ex tribus enim hisce causis propter res, propter personas, propter possessiones veniant principaliter ex factis licitis, quibus de à tit. 2. lib. V. usq. ad Lib. XLIV, vel illicitis, Lib. XLVII & XLIX. Et intra hos cancellos & metas mansi, maneboque in conflictu, aliis in aliorum jurium, & beneficiorum, exceptionum, regalium, patronatus, officiorum inquisitionem atque discussionem relinqvens.

§. 3. Et Generaliter præsciendum, istis actionibus, quæ solius renunciantis favore sunt introductæ, renunciari posse l. 21. C. mand. l. 41. ff. de minor. l. 29. C. de pact. Dalnerus de renunc. cap. 6. n. 3. seqq. Barbosa in Axiomat. §. 6. n. 2. Nov. 136. c. 1. vers. unicuiq. Finckelt. Obs. 107. n. 1. & 8. Uti exemplum habemus in Vasallo, qui invito etiam Domino Feudo renunciare potest: cap. un. in fin. vers. Vasallus etiam. de Vasall. qui contra constit. Lothar. Ludovic. Schrad. tract. feud. part. 8. cap. 1. n. 6. Vultej. de feud. lib. 1. cap. 10. n. 74. 75. 76. & 77. Rittersh. in partit. feud. lib. 2. cap. 2. quæst. 20. Matth. de Afflict. in prælud. feud. n. 50. Carpz. Synops. feud. Dist. 7. th. 37. dummodo renunciatio ista fiat tempelivè Wesenb. de feud. cap. 11. Illis verò, quæ tertii etiam favorem respiciunt, renunciari non posse. l. pen. C. de pact. Cravett. Consil. 33. n. 24. Hartm. Pist. lib. 1. quæst. 15. not. 51. Achenoch. de præsumt. lib. 3. præf. 13. n. 7. Hering. tr. de fidej. cap. 27. p. 1. n. 19. Sic filius juri patris renunciare non potest, nec servus domini, quorum conditio per servos aut liberos melior, non autem deterior fieri potest, l. melior. 35. ff. de R. 7. uti nec iis, quæ non tantum ob privatam, sed etiam publicam utilitatem sunt introductæ. l. 38. ff. de pact. l. 7. §. 16. ff. eod. l. 15. §. 1. ff. ad L. Falcid. l. 42. ff. de oper. libert. Quod verò de favore publico dixi, ita intellectum volo, si favor publicus cohæreat inseparabiliter, quod si enim separari possit, etiam iis actionibus, quantum ad jus renunciantis, renunciari potest. Nec ei etiam actioni, quæ alteri subministrat peccandi occasionem. cap. in malis, de R. 7. in 6. si igitur aliquis actioni sibi competenti renunciaverit, ut alter maleficium committat, renunciatio non subsistit l. si auro §. fin. ff. de fidejuss. ibiq. Bart. & Sichard. p. 10. n. 3. Finckelt. Obs. 107. n. 8. Dalner, de renunc. c. 7. §. 9. 10. & seqq.

§. 4. Videamus igitur quibus actionibus renunciari queat. Renunciari verò potest actioni ex dominio tum rei corporalis, tum incorporalis, tum universalis, tum singularis, nec solis actionibus realibus, sed & mixtis, finium regundorum, familiaræ Serciscundæ, communi dividundo, renunciari potest, ut & actionibus mixtis adhærentibus, & adjacentibus. *lib. ii.* Nec exemptæ sunt à renunciationibus actiones personales, sive ex contractibus veris, realibus, consensualibus, nominatis, & innominatis, principalibus & accessoriis, tam ex causâ matrimoniali, tutelari, quam ex successione testamentaria & ab intestato civili, sive prætoriam ortum suum habentibus. *l. pacisci l. pactum ff. de pacto l. si iudex ff. de minor.*

§. 5. Sed utrum adolescens actioni tutelæ sibi contra tutorem competenti, renunciare queat, quæritur, & Baldus *in authent. Sacramenta C. si advers. vend. id negat.* Ego cum Giphano *de renunciat.* affirmo, ita tamen, ut si deceptus sit hac renunciatione, restitutionem in integrum petere queat.

§. 6. Edictio ædilitio introducta est actio redhibitoria, quærant igitur, utrum actioni huic, uti & evictioni à venditore præstandæ, possit ab emtore renunciari? Affirmativæ opin. subscribo. Nam priorem actionem cessare, si inter partes de non redhibendo convenerit, patet *ex l. 31. ff. de Edil. edict. l. 6. ff. de rescind. vend. l. 31. ff. de pact.* In hac verò quia denunciatio est necessaria, ei verò renunciare possit emtor, hinc & ipsi evictioni renunciari poterit. *l. 31. ff. de pact. l. 11. §. ult. ff. de act. emt. l. 63. ff. de evict. Vigel. Method. Jur. Civ. Lib. 18. c. 14. quest. 1.*

§. 7. Imo etiam actionibus ex veris & quasi delictis, suum habentibus ortum renunciari potest. Nihil enim est, quod impediatur, dummodo istæ actiones nobis jam præsentis tempore competant. Nam futuris actionibus ex delicto renunciari nequit, hinc nec futurarum injuriarum, nec futuri furti, nec futurarum rerum amotarum actioni renunciari potest, nec futuri quidem doli actioni. *l. 27. §. 4. ff. de pact. Coler. process. execut. p. 1. c. 10. n. 257. Rolandin. in tr. renunc. vers. exceptio doli mali. Jacob. Butrig. de renunc. verb. benef. except. doli.*

§. 8. Sic & potest renunciari actionibus præjudicialibus, circa personas, imò & ipse status hominis est renunciabilis, ac ex libero

hæro servus, ex servo liber fieri quis potest, §. 4. *Inst. de jur. pers. l. 22. C. de Agric. & Cens. l. fin. C. de trans. c. grandi. de suppl. neglect. prelati in 6. Dn. Philippi in Usu Pract. Inst. lib. 1. Eclog. 33.* quamvis enim libertas non in commercio, cum sit res inæstimabilis. *l. 106. ff. de R. J.* hoc tamen ad coercendam improbitatem ejus, quæ fœdissimum lucrum libertati præposuit, singulariter est receptum, ut talis libertate indignus haberetur. *d. §. 4. & l. 5. §. 1. ff. de stat. hom. Gloss. Bach. & Ludov. ad d. l. civiqve licet abdicare jura civitatis & se conferre ad externa regna, aliasqve civitates, l. 22. §. 2. ff. ad munic. l. in bello ff. de de capt. & possil. revers.* Hinc Cicero pro Balbo laudat jus illud, ne quis in Civitate maneat invitus. *Grot. de jure B. & P. lib. 2. c. 5. n. 24. ibiqz Zieglerus in not. cum & familiæ, nominiqve suo quis renunciare possit, l. unic. C. de mutat. nom. maxime mediante arrogatione §. 11. Inst. de adopt. l. 5. ff. eod.*

§. 9. Eodem modo se res habet cum actionibus & remediis possessorii, circa possessionem vel adipiscendam, tum personarum, tum rerum, vel acquisitam conservandam, vel amissam recuperandam, cum ei, cui licet quod plus est, liceat etiam quod est minus, *c. cui licet, de R. J. in 6. majus verò est dominium possessione, l. 13. §. 1. ff. de publ. in rem act. l. 36. ff. de R. V. l. 6. C. & l. 23. pr. l. 41. ff. eod.* huic verò renunciari posse, jam supra asserui. Et licet in actionibus, quibus renunciare possumus, textu destituamur, expresso, generalis tamen est regula, quam supra tradidimus, quemlibet posse favori pro se introducto renunciare *l. 41. ff. de minor. l. 27. C. de pact.*

§. 10. Imò hoc in tantum procedere statuendum puto, ut quamvis actiones hæ, hæcque jura sint quæ sita, ex factis aliorum illicitis, tum privatis, tum publicis, tamen renunciationes procedere posse. Si enim nemo cogendus, ut agat contra alterum, vel eum accuset. *tor. tit. C. Ne quis in vit. ag. vel accus.* eoque vellet denegare læso renunciationem expressam, quæ tacendo, silendo, conivendoque uti nolle?

§. 11. Sic actionibus popularibus quilibet potest renunciare, dummodo hoc non fiat ante admissa ea, undè hæ actiones nobis competunt. Ipsæ sanè Leges quarundam actionum, etiam ex factis illicito ortum habentium renunciationem introduxerunt, sed

D nullum tacitam

tacitam seu præsumtam. Sic si aliquis in quibuscunque actionibus terminum sibi ad agendum præfixum præterlabi patiatur, eò ipsò cum actioni Leges præsumunt, *pr. Inst. de perpet. & temp. act. cor. tit. de diverf. & temp. præscript. & passim. C. de præscript. Cum & generaliter non utens jure suo, intra tempus præscriptum ei renunciasse censeatur. Harv. Pist. lib. 2. quæst. 12. n. 21. Bald. ad l. si ea C. qui accus. poss. l. 1. C. de integ. restit. ibiq. Matth. de Afflict. n. 47. cum tempore sive renunciatione excludi paria sint l. 1. §. 11. ff. de success. edict. Ita in injuriis lapsu anni, & dissimulatione tolli actionem injuriarum, aliasqve complures certum est. Pariter actorem probationem deserentem confestim renunciaste suo juri præsumitur §. ult. Inst. de injur. l. 11. §. 1. ff. cod. VVesemb. Paratitl. ad d. tit. Schneidevv. d. §.*

CAP. VII.

De

Forma Renunciationum.

ERuenda nunc est forma, quæ est vel generalis, & communis præscripta renunciantibus, vel à Lege, vel ab ipsis negotiantibus. Præter namq; formam nativam in jure denominatam, partes quòq; dare solent negotio specialem formam, per pacta, tum nuda, tum conventa, tum legitima l. 1. §. 6. ff. de pos. l. 31. ff. de pact.

§. 1. Quod attinet formam legalem, nullam video peculiariter renunciantibus præscriptam, siquidem in nudâ voluntate ac consensu partium consistunt, neqve verba, neq; literas, neq; rem exigunt, quæ ligamenta nobis ab Imperatore *in tit. Inst. de Oblig.* sunt suppeditata

§. 2. Quæri hic solet, an ad hoc, ut firmiter teneat renunciatio, necessaria sit certioratio ejus juris, cui renunciatur? *R.* Affirm. Nam ratione materiæ necessaria est, quotiescunq; quis jus, cui renunciare vult, ignorât l. 12. ff. de novat. l. 19. l. 20. pr. ff. de in off. testam. l. ult. §. 2. C. de furt. Gail. Lib. 2. Obs. 41. n. 2. & Obs. 77. n. 8. Menoch. Consil. 27. n. 40. Conf. 237. n. 31. Conf. 381. n. 30. Conf. 423. n. 50. Consil. 731. n. 10. Coler. proc. exec. p. 1. c. 10. n. 440. quæ præsumitur in forensi, muliere, rustico, milite l. 8. §. 9. pr. ff. de Jur. & fact. ign. Vigel. Method. Jur. Con-

Controv. Lib. 2. cap. 11. lit. 1. Ignorantia except. 1. replic. 1. 2. 6. & seqq. & lib. 5. c. 11. reg. 19. Gail. Lib. 2. Obs. 48. n. 22.

§. 3. Quod si verò renunciatus jus suum sciat, de eò amplius certiorari non debet, c. 31. de R. l. in 6. nisi pro solemnitate requiratur certioratio. Tunc enim renunciatio absq; certioratione facta doli & fraudis suspicionem importat. l. 35. ff. de pact. l. qui cum s. qui per ff. de transact. Maximil. Gauss. class. 4. conf. 268. ord. 419.

§. 4. Ratione finis, si non semper necessaria, certè tamen non inutilis erit certioratio, cum abundans cautela non noceat, l. 33. §. Labeo ff. de aur. argent. mund. l. 94 ff. de R. l. l. 37. C. de donat. l. 17. C. de testam. & hoc procedit, quamvis renunciatio jurejurando sit firmata, nam utrunque vis non exigua solet esse juramenti, effectum tamen extensivum non producit. l. ult. C. de non num. pec. Gail. lib. 2. Obs. 41. n. 3. Obs. 48. n. 12. Menoch. Consil. 1. n. 218. Conf. 80. n. 70. Consil. 401. n. 39. Consil. 731. n. 11. Coonsil. 990. n. 22. Theaur. Decis. 222. n. 12. Joseph. Ludov. commun. Concl. 34. n. 3. VVesemb. part. 2. Conf. 131. n. 108. Zang. de except. part. 3. c. 11. n. 204.

§. 5. Illo verò semper ligamine, quo colligata est actio, eo etiam actionis sublatio & extinctio facienda erit. Si ergò debitum chirographo & consensu judiciali munitum, literis & judicialiter extinguendum non delendum aut scissum retradendum debitori, sed insuper judicio mortificandum, & si mediante stipulatione verbis contractum, acceptilatio usurpanda tot. tit. ff. de acceptil.

§. 6. Quæstionem hic subnectere liceat, utrum chirographo reddito censetur remissum debitum? Negant Treuil. Vol. 1. Diff. 6. §. 3. Menoch. de presumt. 140. n. 6. & 7 sententiæ suæ fundamentum quærentes in l. 2. ff. de his quæ in testam. l. 24. ff. de probat. Meo calculo exiguo quidem affirmantibus assentior, nimirum ex tradito chirographo induci remissionem debiti, nec interest, utrum unum sit chirographum, utrum plura, tum per textum expressum in l. 2. §. 1. ff. de pact. l. 24. ff. de probat. l. 7. C. de remiss. pign. cum actus agentium ita sint interpretandi, ne sint de nihilo. Bachov. ad Treuil. d. l. Strauch. Dissert. 12. aphor. 5. Schnobel. Diss. 2. th. 24. Arum. Exercit. Pandect. 3. th. 3. Bronchorst. Enant. Cent. 1. Assert. 38. debitorque ex tacito pacto, vel per doli exceptionem liberatur. l. 2. de pact. l. 3. §. 3. ff. de liberat. leg. Colleg. Argent. tit. de liberat. Uti & tunc creditor actioni sibi ex

chirographo competenti renunciassè censetur, si illud chirographum cancellatum apud eum reperiatur. *l. 24. ff. de probat. Anton. Faber in Cod. tit. 29. def. 28 n. 12. Carpz. p. 2. C. 29. d. 12. n. 8. Colleg. Argent. tit. de liberat.* Aliud est, si quis renunciaverit instrumento, propterea enim non censetur renunciassè debito, quod in eo continetur. *Bald. in l. Labeo §. 1. ff. de pact. Roland. à Vall. Conf. 43. n. 12. Vol. 3. Surd. decis. 277. n. 4. Tiraquel. de retract. tit. 1. §. 2.*

§. 7. Constituuntur autem renunciaciones, vel per modum pacti, vel per modum non pacti, sed contractus aut pacti conventi. Per modum pacti fit vel nudi, ubi nulla causa reciproca conventioni asluitur, sed ex mera liberalitate provenit. *l. 7. §. 4. ff. de pact. l. 15. C. fam. hercis. l. 27. C. locat. & Da ad h. ll.* Contra, quando causa reciproca conventioni annectitur, non per modum nudi pacti, sed per modum aut conventionis aut contractus, vel pacti conventi aut legitimi renunciatio peragitur, formam & naturam ex naturâ negotii principalis, vel pactorum conventorum & legitimorum, habens quæ pacta conventa informant actionem principalem. *c. accessorium de R. l. in 6. l. 79. ff. de contr. emt. l. 6. §. 1. ff. de act. emt. Borcholt. c. ult. n. 55. Bocer. ad l. contractus cap. fin. n. 5. de R. l. Arumæus Disp. ad f. ita 3. th. 10. l. 7. §. 5. ff. de pact. 13. ff. comm. præd. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 6. th. 21.*

§. 8. Quæres hic haud dubiè, & non incommodè undè dignoscendum, quando renunciatio facta vel nudo pacto, vel per pactum vestitum, vel adjectum contractui, vel per modum contractus, aut nudi pacti legitimi? Puto respondendum, pactum nudum non dici ab unitate personæ, quasi pacta nuda essent unius promissum, quod esset contra *l. 1. §. 2. ff. de pact. l. 3. ff. de pollicit.* sed à nuditate negotii, cujusdam principalis, adeoq; à carentia vestimentorum, si nimirum in nudi placiti terminis remaneam. *l. 24. C. locat. l. 7. §. 4. ff. de pact.* quod aliquot exemplis declarabo. e. g. quando dico, remitto tibi vel fratri tuo depauperato, hoc vel illud, vel has illasq; prætensiones. Germ. *An und Zusprüche.* per vocem *Ansprüche* intelligo actiones reales, denn da sprechen wir einem seine inhabenden Güter / adeoq; certam rem, an / per vocem *Zusprüche* actiones personales, sive conditiones; *Wann ich bey seiner Person Schulden halben etwas suche.* En hic nulla adest acceptatio, vel causa reciproca à debitore. E. nec pactum. Quando autem acceptat debitor remissionem, ammodò pactum emergit, quia ad-
est

est duorum vel plurium in idem consensus, nullam in se habens causam, à debitore profectam, quæ potuisset movere creditorem, vel petitorum ad renunciationem. *l. 27. C. locat. l. 7. §. 4. ff. de pact.*

§. 9. Nec ratio habenda causæ, quæ movit & impulit renunciantem ad renunciationem; Hæc ratione enim nullæ invenirentur conventiones sine causa, quia nemo tam stultè & stolidè in suis actionibus & negotiis procedit, qui non in suâ intentione aliquid causæ haberet, ad minimum liberalitatis, & beneficii exercendæ causa, eamq; nec sine impulsu.

§. 10. Quando itaq; leges dicunt, pactam nudum esse conventionem sine causa, *l. 7. §. 4. ff. de pact.* & conventiones cum causâ redolere contractum, uti eum definiunt *Treutl. Vult. aliq.*, causa non quærenda in principali, sed in alterâ parte minus principali.

§. 11. Sic pactum liberatorium, quod de non petendo nominatur, vel in præsentia debitoris per chirographum, vel in præsentia testium, mediante instrumento, coram Notario & testibus confectio, si fateretur renuncians, à se fuisse debitorem vel in totum vel pro parte liberatum, eam liberationem fuisse acceptatam, nullatenus in nudi pacti terminis permansisset, sed quando dixisset renunciâns pro majori securitate, & firmiore observatione hanc renunciationem non solum in charta consignare feci, sed & cum stipulatione Aquiliana, & redditione chirographorum, & documentorum eum plenissimâ quietatione firmavi.

§. 12. Hisce modis renunciâns non manet in terminis nudi pacti, sed etiam nudum pactum in firmiter transportat. Nam & nuda pacta redduntur firmiter, quando præter consensum, vel in reale aliquid, vel verborum stipulationem, vel literalem obligationem renunciationses degenerant *l. 7. §. 5. ff. de pact.* dicendo; Estne hæc tua sententia, quod velis mihi hanc remittere actionem, ad quod si annuat creditor, statim nudum pactum in Aquilanam stipulationem transiectum esse dicitur. *§. 11. §. 2. Inst. Quib. mod. toll. oblig. l. 18. ff. de accept.* Nec absurdum videri debet, quod de pacto liberatorio dixi, cum quo & convenit pactum de non petendo, quippe inter hæc duo aut exigua aut nulla est differentia. *Harm. Pist. lib. 4. q. 5. notat. 4. lit. C.*

§. 13. Dixi aliquot vicibus, renunciationem esse acceptandam? Queritur igitur, utrum acceptatio sit adeo necessaria, ut nunquam

omitti possit? Et sanè, si fiat renunciatio per modum pacti res est expedita, cum pactum, nisi ipse quis prærens, aut alius absentis nomine ut procurator acceptaverit, nullas habeat vires. Nemo enim sibi ipsi obligatur *l. 7. ff. de stipul. serv. l. pen. ff. de arbitr. l. 2. l. 46. ff. de pact.* Si verò fiat simpliciter, alioque modo, dummodo expressè semper requiritur, ut acceptetur, ab eo ipso, cui fit, vel ab alio, mandatum speciale absentis habente; Citra enim speciale mandatum nemo id facere potest. *Menoch. Const. 406. num. 66. seqq.* Afferunt quidem per Notarium nomine absentis acceptari posse, sed falsò, & contra *LL. Bachov. ad VVesemb. tit. de pact. num. 2. Affl. in dec. 135. in fin. Paris. in Conf. 96. n. 120. lib. 1. Salyc. in l. Subemus C. d. liber. caus. Et in l. generaliter quest. 6. c. de non num. pecun. Bald. in avth. quod obtinet C. de probat.* multique alii, quorum nonnullos supra cap. de personis, in quarum gratiam &c. recitavi, quia alteri per alterum non queritur obligatio, tum per *l. absentis ff. de donat. l. 11. ff. de Obl. Et Act.* Et alterius obligatio nemo obligari potest §. 3. *Inst. de inut. stip. l. 38. pr. Et §. 1. Et l. 83. pr. ff. de V. O. Menoch. Consil. 380. n. 27. Conf. 591. n. 10. Mynsing. resp. 1. num. 14. Mascard. de probat. vol. 1. Concl. 346. Et 347. n. 12.* in tantum, ut nemine eam acceptante, jus renunciantis convalescat, *Mynsing. resp. 56. n. 4.*

§. 14. Illud mirabile fortassis nonnullis videtur, posse per constitutum celebrari renunciacionem, cum extra omnem controversiam sit nudum pactum. Quid enim reciprocè dat vel facit constituens? Nihil! & tamen cum sit pactum legitimum, *l. 1. pr. §. 4. Et ult. ff. de constit. pecun.* etiam renunciatio fieri potest per constitutum, pacto convento vallatum e. gr. quando promisso constituto tale subjiceretur pactum: *Zerner ist hierbey abgeredet worden/ daß der debitor constituens ihme N. den abgestochenen Pfah von seinem Garten zu N. Garten / denselben dadurch viereckigt zu machen und zu verplancken befugt seyn soll.*

§. 15. Permultum quoque hinc refert nosse, pacta sint in rem, & in negocium generaliter, non definita persona, an in personam concepta? *l. 7. §. 8. ff. de pact.*

§. 16. Sunt autem & dicuntur pacta in rem quotiens generaliter pacifcor ne petam, in personam fiunt, quotiens pacifcor ne à personâ petam *d. §. 2.*

§. 17. Efectus enim sunt diversissimi. Utut autem personæ mentio fiat, non tamen oppidò pro personali habetur. Utrum enim pactum sit in rem, an in personam, non minus ex verbis, quam mente convenientium est æstimandum, plerumque enim (verba sunt *d. s. s.*) persona pacto inferitur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstraretur, cum quo pactum sit. Quando namque concurrat sensus mentalis cum verbali semper potior ratio habenda est mentalis, siquidem verba inservire debent menti & intentioni agentium non mens verbis. *l. 3. §. 1. tit. C. plus val. quod ag. Natta in Conf. 276. n. 6. Cravet. conf. 17. n. 7.*

§. 18. Quæres porro, sed undè & quomodo dijudicanda sint pacta conventa? *R.* 1. ubi conventio aliqua præcedit. 2. Ubi conventioni nominatæ vel innominatæ, aliud aliquid annexitur. Ob id enim conventa dicuntur, quod conventionem præsupponant, eamque comitentur, & ex his talia cognoscuntur pacta, quando contractibus hæc adjiciuntur verba: Ferner ist auch hierbey abgerechet worden &c. licet annexa videantur sine reciproca causa facta, attamen cum respiciant ad præambulam causam adeoque in rei veritate non sint planè sine causa, ideoque non nuda sed conventa sunt placita, quod denotat dictio, Conjunctiva Con, quæ reflexionem ad causam præambulam habet, *tot. tit. C. de pact. convent.* Sicubi autem ad præviam conventionem aliquid nudi pacti adjicitur, tantum abest, ut in nudi placiti terminis perseveret, ut etiam anteriori negotio animam quasi indat ac formam, *l. 21. §. 4. ff. de act. emt. l. 79. ff. de contr. emt. l. 29. ff. de V. O.*

§. 19. Hinc falsi sunt quotquot sunt, qui sibi imaginantur, *sic. ff. de pact. dotal.* esse conceptum de instrumento dotali, velt Heyraths- gut Beschreibungem vel, quòd nihil absurdius, von Ehe-stiftungen/ sunt enim saltem particulae accessorizæ talium principalium conventionum.

§. 20. Per modum contractus tum demum fit renunciatio, quando celebratur vel per modum contractus veri, vel quasi: Si per modum contractus veri, tunc vel per contractum Juris Gentium, vel per contractum Juris Civilis. Si per modum contractus Juris Gentium, vel nominatis, vel innominatis. Si per modum contractus nominati, erit ex novem Musis illis Juridicis quinque; realibus
mutuo;

mutuo, indebito, commodato, pignore & deposito, & quatuor consensualibus, mandato, societate, emt. vendit. locat. conductione, vel ex innominatis permutatione & estimatione, & similibus. Musæ innominata dictæ, omnes habitantes in Parnasso Juris lib. XII. XII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. unâ cum pedissequis seu accessoriis in lib. XX. XXI. & XXII. Vel, ex quasi-contractibus, tam materia matrimoniali, in libris hilaritatis XXI. XXIV. XXV. tam tutelari lib. XXVI. XXVII. & lib. miserabilium, successionum in bonis. lib. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXIV. XXXVII. XXXVIII. ex libr. tristium. In Contractibus Juris Gentium veris & nominatis rariora sunt exempla, nisi pactis in continenti adjectis inferantur commisceanturve: Exempla, si desideras, dabo in conflictu.

§. 21. Atq; ex his dictis patet, formam renunciationis esse solos renunciantes, & renunciarios, (ita lubet loqui cum *Andr. Dahn. hic cap. 18. in pr.*) qui pro lubitu mox judicialiter, mox purè, mox conditionaliter, mox modaliter, modò totaliter, modo partialiter, jam literis, jam verbis formam renunciationi dare queunt.

§. 22. Obiter hic oritur hoc dubium, cum omnes contractus (quam vocem neque unico verbo Germanicè reddere, neque à transactionis vocabulo unicè secernere possum) quotquot, qualesq; sunt, incidant in 4. species, Do ut des, Do ut facias, facio ut des, facio ut facias, quæres, ad quamnam speciem sit referenda præsens nostra renunciationis materia. Principale non est do, Quid enim dat renuncians? Neque hic multò minus reciprocum est do, Quid enim dat, is, cui renunciatur? Saltem accipit, vel cum, vel sine gratiarum actione; neq; principale est facio; multo minus mutuum refacio, aut reddo. Verum enim vero sicuti sub do latent & danda, & non danda, ita sub facio & facienda, & non facienda testè insunt.

§. 23. Eatenus igitur, renuncians aliquid facit, dum non vult agere, aut quicquam petere, & alter aliquid facere videtur, quando renunciationem acceptat, quamvis non absurdè dici possit, eum, qui à suo jure abit, & recedit aliquid dare.

§. 24. Hinc si ita inter partes conventum, ut velint ambæ suis invicem habentibus persecutionibus, petitionibus, actionibus & conditionibus claris & liquidis renuciare quod Germ. *effertunt, tuit einander in Bogen handeln und aufheben/* videntur invicem aliquid dedisse.

§. 25.

§. 25. Claras & liquidas esse debere dixi deo; si enim non sint liquidæ, sed in ulteriori examine consistant, non contraxisse, sed transegitse dicuntur, quæ species renunciationis non ad meum commercium pertinet, prout suspensa indicat hædera.

§. 26. De renunciationibus per modum contractus Juris Civilis, per innominatos & quasi contractus celebrandis, exempla adfunt frequentiora, & ut nominatissimus Prædicus mihi retulit, tota die in usu practico ac foro occurrunt. Unum exemplar sit loco multarum. Quidam Doctor vult edere tractatum perutilem & quia typographus debet Doctori ex mutuo 30. thaleros, de mercede ita conveniunt: Ut Doctor suis prætensionibus renunciet contra typographus pro qualibet libri pagina unum det florenum.

CAP. VIII.

Modis Renunciationes tollentib⁹.

Nihil tam firmum esse, neque ita convenire posse partes, in aliquo negotio, quo minus illud per certos modos, variasque exceptiones tolli queat, in aprico est, l. 35. de Reg. Jur. l. 80. ff. de solut. Sanè & in renunciatione hoc evenire solet; Ad hoc autem ut tolli queat, requiritur, ut prius Jure sit constituta, cum privatio præsupponat habitum, & non entis nullæ possint esse affectiones.

§. 1. Tollitur autem renunciatio variis modis, vel temporis lapsu, si nimirum renunciationi à partibus certi termini sint præfixi. Ea enim, quæ ad certum tempus sunt constituta, semper tempore isto elapsò, etiam labuntur §. 3. Inst. de V. O. non quidem ipso Jure, sed creditori datur exceptio, l. 44. §. 1. ff. de O & A. l. 56. §. 4. ff. de V. O. §. 3. Inst. eod. quippe Jure Civili obligatio constituta, tempore tolli nequit. Brisson 3. de solut. p. 270. cum temporis lapsu & renunciatione excludi paria sint l. 1. §. 11. ff. de success. edict. Carpx. p. 2. Const. n. def. 8. n. 7. hinc si quis v. g. ad triennium renunciauerit actioni hypothecariæ, tempore isto elapsò, eâ uti non prohibetur.

§. 2. Idem & dicendum puto de conditionis existentia. Si enim possum quoad modum constituendi renunciare actioni hoc modo, si navis ex Africâ venerit, renuncio huic actioni, quid prohibet

E

bet

bet idem fieri quoad modum dissolvendi *arg. l. nihil tam naturale ff. de R. J.*

§. 3. Tollitur etiam renunciatio mutuo dissensu. Ea enim, quæ mutuo consensu sunt constituta, eadem mutuo dissensu etiam regulariter possunt rescindi *§. fin. Inst. Quib. mod. toll. obl. qvo* verò è minus possit renunciari à suâ renunciatione rescilire, utile erit, eum juramento obstringere, cujus magna vis est ac efficacia, aut stipulationem prænalem adjicere, quod consilium suppeditat Imperator in §. 7. *Inst. de V. Obl.*

§. 4. Sed cautè hîc procedendum, cum facilè possit renunciatus commoveri ad rescilendum, & retractandum, quando eidem renunciaturus religionem injicere, tamque durum cancum objicere vellet, dicet enim hoc esse impudentissimi, & ingratiissimi hominis. Solent enim ejusmodi benefactores facilè excandescere & tale indecens postulatum indignabundè ferre, ad exemplum Patris familiâs, qui ægrè tulit cooperarii nequitiam, & invidiosam distributionem reprehendentis. Cui dicit: Tolle quod tuum est, & abi: facilimè enim ex cunis, ut dicitur, ejiciuntur, quando tam iniqve tractantur.

§. 5. Omnis quoque ista renunciatio, quæ continet læsionem, enormissimam, rescindi debet dispositione *l. 2. C. de rescind. Vendit. Menoch. Consil. 80. n. 71.* quia ex enormissima læsione dolus præsumitur. *Gail. lib. 2. obs. 77. n. 11.* Imò etiam si quis enormissimæ læsionis renunciaverit, renunciatione tamen non obstante, potest contravenire, quia, quâ quis facilitate est læsus, eadem etiam facilitate renunciavisse læsioni videtur. *arg. l. doli §. diversum. ff. de novat.* Nam quemadmodum quis dolo ex proposito renunciare nequit, ut supra probavimus, nec enormissimæ læsioni, cum illa idem sit, quod dolus ex prozressu. *Menoch. Conf. 412.* Sive enim quis dolo ex proposito seu enormissima læsione captus sit, semper renunciatio est rescindenda. *Canonistæ ad C. quamvis de jurejur. Decius Consil. 86. col. 3. in f. Conf. 180. per tot. Socin. Iun. Conf. 48. n. 23. & Conf. 77. n. 132. vol. 1. Alciat. Conf. 97. n. 2. & Conf. 266. n. 1. Conf. 404. n. 7.* quam sententiam multis rationibus confirmat *Menoch. de arbitr. jud. cas. 149. n. 15. Conf. 412. n. 68. & 214. Crav. Consil. 192. n. 2. & 8. Zang. de Except. p. 3. c. 11. Köpp. Decis. 58. n. 28. Sane de jure Saxonico contrarium statuendum videtur,*

videtur, nequidem ob enormissimam laesionem renunciationem juratam esse rescindendam. *Const. Aug. 35. p. 2. ibiq. Dan. Moller. Berlich. Carpzou. Rauchb. quest. 34. n. 80. sub fin. vers. ac ita & quest. 4. n. 43.*

§. 6. In eam vero nemo propendet sententiam, renunciantem nudo pacto posse resilire à renunciatione prohibita, cum nuda pacta non pariant actionem *l. 7. §. 4. de pact.* Etsi verò non præbeant debitori aut possessori verum ius agendi, & compellendi ad observationem, renunciationis facta, sufficit tamen iisdem, quod habeant exceptionem, atq; sub munimine exceptionis tuti sint. *d. l. 7. §. 4.* Videant modò, ut in casu interpellationis judicialis in promptu habere possint testimonia sufficientia, eo namq; ipso omnia telamociva repellere valent.

CAPUT IX.

De

Effectu & operatione Renunciationum.

Cum renunciationes non debeant esse otiosæ, neq; de vento, sed aliquid operari. *Coler. process. execut. p. 1. c. 10. n. 233. 240.* Igitur de earum effectibus videbimus.

§. 1. Effectus sunt duplices 1. Respectu Renunciantis, 2. Respectu ejus, in cuius favorem renunciatur.

§. 2. Quoad renunciantem, aut renunciatio fit per modum pacti nudi, & operatur liberalitatis ac beneficentiæ tecmirion. Sin verò fiat per modum pacti conventi vel contractus, promovet usum commerciorum, & aliquid promercale efficitur. Man kan auch mit renunciationen handeln. Prior modus haud dubiè est renuncianti nocivus, videturq; in se habere prodigalitatís speciem *l. contra §. filius ff. de pact. l. 1. ff. de transact. l. Si unquam C. de revocand. donat. l. 7. de donat.* Cum renuncianti juri suo, nullus faciliè detur ad illud regressus *l. 14. §. si venditor. ff. de adilit. edit. l. ult. C. de remiss. pign. l. 63. ff. de evict. l. 1. §. 6. ff. de success. edit. l. ult. C. de pact. Crav. Conf. 31. n. 14. Berlich. p. 2. Concl. 22. n. 68. Finckelth. Obs. 44. n. 7.* Præprimis verò specialiter renuncians, donare censetur. *l. contra §. filius ff. de pact. l. 1. ff. de transact. l. sicut. §. an pacisci ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.*

E 2

§. 3. Sed,

§. 3. Sed, quia præstat quandoque, aureo piscari hamo, & no-
ster Justinianus suo tempore nuda pacta & promissa, non inter qua-
si delicta, prout sui Antecessores, sed ad classem validorum negotio-
rum, adeoque donationes ad modos acquirendi dominium civiles
retulit. *pr. Inst. de donat. l. 35. Cod. malo cum antiquis Romanis dice-
re, nihil tam naturale est, quam ea, quæ semel placuere serurare, &
cum Germanis ein Wort ein Wort/ein Mann ein Mann/quam cum
mediæ & novæ prudentiæ hominibus, inter quasi delicta lib. XII,
referre, und die Mäuler zu täuschern machen.* Renunciantes Bal-
dus in l. pactum quod dotali quest. 16. C. de collat. admonet, ne utan-
tur verbis generalibus quia non nunquam etiam verba generalia,
generaliter præjudicant l. fin. in fin. C. de dot. promiss. l. emtor. §. Lu-
cius ff. de pact. Hartm. Pistor. Obser. 49. n. 2. & 3. licet hoc speciale ha-
beat renunciatio ut nihil comprehendat, nisi quod in ea, exprima-
tur per l. si de indebito ff. de probat. l. si unus §. aut omnia ff. de pact. l. si
dominus ff. de servit. præd. urban.

§. 4. Quandoque verò effectus solet esse potior specialis, quam
generalis renunciationis, & jurata quandoque plus valet non
jurata. Hinc dicunt renunciationem actionis generalem,
non excludere actiones in specie non expressas. Köpp. Decis. 55.
n. 8. imò qui in specie renunciavit actioni in factum, restitu-
tioni in integrum, & omni legum auxilio, non potest renuncia-
tioni prætextu alicujus læsionis contravenire. Menoch. Conf. 401.
n. 181. ob enormissimam tamen læsionem, tempore renuncia-
tionis considerandam, utique recedere licere, idem consulendo re-
spondit. Conf. 412. n. 69. Item renunciatio generalis non compre-
hendit jus ex nova causa superveniens, neque enormem læsionem.
Scheffer. p. 3. quest. 49. n. 333. C. cum inter de renunc. Socin. Jun. Consil.
20. n. 20. Vol. 1. Dec. 19. in l. hereditas & in l. quoties duplici ff. de R. J.
Conf. 230. Conf. 260.

§. 5. Hinc quoque placuit illustrissimo Saxoni ne in beneficio-
rum fidejussoriorum renunciatione generalis vel subalterna ad-
mitteretur renunciatio, sed ut specialiter renunciant. Nov. Const.
Aug. P. 2. C. 17. Cum verò juramentum tantum operetur in effe-
ctu quantum renunciatio specialis, hinc renunciatio jurata pro spe-
ciali habetur. l. 77. §. 23. ff. de legat. 3. c. ex rescripto 9. X. de jurejur. Et
utut sint, quæ contrarium sentiant, speciosis nixi fundamentibus.

Zang.

Zang. tract. de Except. p. 2. c. 16. n. 14. Fach. lib. 3. controu. c. 15. mul-
tiqve alijs, quos allegat Berlich. p. 2. Concl. 22. n. 16. ipse tamen con-
trarium statuit, quam sententiam etiam amplectitur Beat. Carpz.
P. 2. C. 17. D. 5. Köpp. Decis. 53. n. 16. Wesenb. Conf. 10. n. 24. Coler.
Proc. Exec. p. 1. c. 10. n. 395. Ant. Hering. tr. de fidejuf. cap. 27. n. 22. &
innumeri præterea alijs, eamqve etiam in praxi observari testantur.

§. 6. Ipsa verò renunciatio, cum sit stricti juris, ut aliquot
vicibus innui, igitur in eam non veniunt nisi nominatim expressa,
hinc non expressis renunciatum non censetur, nec renunciatio ad
ignota extenditur, l. 35. l. 4. §. 1. ff. de pact. l. 89. ff. de solut. & liberat.
l. 5. c. de transact. l. 19. ff. de in off. testam. C. sane c. veniens. de renunc.
Coler. Proc. Exec. p. 1. c. 10. n. 392. Wesenb. Conf. 537. n. 4. nec renun-
ciatio faciliè præsumitur, nisi verba necessario importent. l. si nuius §.
ante omnia ff. de pact. l. si dominus ff. de servit. urb. præd. l. emor. §. Lu-
cius ff. de pact. præsertim illius actionis, quæ ex causa tum existente
postea supervenit. C. cum inter de renunciat. l. quæro. §. inter locato-
rem ff. locati Dec. conf. 27. & Conf. 260. n. 4. Paris. in Conf. 95. num. 16.
vol. 3. Jason. de V. O. n. 75. omnis enim renunciatio censetur facta
ex causa de præsentia. Richt. p. 4. Conf. 32. n. 19. l. si ex pluribus ff. de so-
lut. & verba renunciationis sunt in dubio interpretanda contra
eum, qui se in renunciatione fundat arg. l. veteribus C. de pact.
Harim. Pist. Observ. 49. n. 12.

§. 7. Posterior modus est vagus, dubius atqve anceps, jam in
incrementum, jam in decrementum vergens, prout quotidiè acci-
dere solet in promercalibus negotiis.

§. 8. Effectus quoqve haud contemnendus est, quod renun-
ciatio declaret, jus jam ante competiisse renuncianti, cui renuncia-
vit, cum privatio præsupponat habitum, l. 116. ff. de V. O. Socin sen. in
Conf. 114. Col. 1. lib. 1. Menoch. Conf. 658. n. 1. Scharck. p. 4. n. 13. Et hæc
de effectibus renunciationis quoad renunciantem.

§. 9. Quoad illum verò in cujus gratiam renunciatio fit, ope-
ratur vel partialem, vel plenam liberationem, & hic effectus est pro
qualitate & quantitate actionis renunciatae magis minusqve profi-
tabilis. Quin imò non solum ei suppeditat adversus renunciantem
retractantem renunciationem, exceptionem, qui enim renunciavit
alicui actioni, & eam postea instituire vult, per pacti & doli exceptio-

nem potest repelli, qui enim semel renunciavit, ei regressus ad jus suum non datur, cum renunciacionis natura sit, ut perdat renunci- cians jura sua, & fortificet jura aliena. l. 14. §. 2. ff. de *Edict. Edict. l. 29. in fin. §. l. 21. ff. de min. l. 15. §. 5. ff. ad L. Jul. de adult. l. 2. ff. ad Sc. Turpill. l. 2. C. de pact. Col. Proc. Exec. p. 1. C. 10. n. 242. Scheffer p. 1. quest. 41. n. 29. Math. de Aff. in coment. Const. Frideric. de jure Prothom. pr. n. 30. Hieronym. Magon. Decis. Flor. 118. incip. ista causa retractus n. 2. Sed etiam actionem ex principali negotio informatam, ad observantiam & satisfacionem renunciacionis certo modo determinatæ. c. accessorium de R. 7. in 6. Arum. Disp. ad ff. a. 3. th. 10.*

CAPIT X.

De

Affinibus.

Affinia beneficia renunciacionum verbis brevissimis adduce- mus. Et quidem quoad modum tollendi actiones merè per- sonales affinia sunt modi dissolvendi obligationes, prout sunt So- lutio, Delegatio, Novatio, Acceptilatio.

§. 1. Est tamen vox acceptilationis maxime distinguenda ab acceptione & acceptatione, cujus aliquot vicibus mentionem in- jeci. Acceptilatio enim est terminus technicus, & inventus à Ro- manis post verborum demum obligationem excogitatus, ad extin- guenda debita civilia per verba contracta, ubi quærit debitor à cre- ditore, num velit hoc vel illud debitum pro accepto ferre, ad quod si annuat creditor, dicitur per acceptilationem sublatum debitum. §. 1. Inst. quib. mod. toll. obl. l. 5. l. 16. ff. de accept. Acceptatio verò & Ac- ceptio est terminus omnibus passim gentibus notus, & omnibus negotiis aptabilis.

§. 2. Affine quoque est renunciacioni repudiatio in hoc sal- tem relicta differentia, quod renunciari soleat juri plene quæsitò, repudiari jus nondum acquisitum. Daln. tract. de renunc. c. 1.

§. 3. Item magnam cum nostris renunciacionibus actionum affinitatem habent, renunciaciones privilegiorum, jurium singula- rium, beneficiorum, fori, officiorum, Dignitatum, hereditatum, ex- ceptionum, quæ repudiaciones, abstinentiæ, desistentiæ, omissiones, discen-

discessus à lite, à Processu, à Leuteratione, ab Appellatione, Cessiones, transportationes, Feudorum resignationes, refutationes der Präbenden in liberis manus, in hujus vel illius favorem. quæ singula, singulis Disputationibus examinanda. De quibus videri possunt *Canonice in cap. si contingat X. de foro compet.* & quam maximè *Fellinus, & Breuleus*. qui de renuciacione hereditatis specialem scriptis tractatum.

§. 4. In actionibus merè realibus, habemus alluviones, commixtiones casuales & voluntarias, sationes, inædificaciones, scripturas, picturas, habitationes pro de relicto, finitiones ususfructus, usus & habitationis, amissiones servitutum, de quibus *tit. Inst. de R. D. ff. quib. mod. ususfr. finit. it. tit. ff. quom. servit. amit.* & sic consequenter quoad actiones mixtas præjudiciales & possessorias,

CAP. XI.

De

Contrariis.

AD ultimum nunc accingo me caput, agens de renuciacionum Contrariis.

§. 1. Et quemadmodum supra asserui personas impediti consensus; non posse renunciare, ita quoq; hic asserendum puto, ea omnia, quæ obstant consensui libero, obstare quoq; renunciacionibus, cum renunciatio debeat esse liberrima nullatenus coacta. *et. quamvis de pact. in. 6.*

§. 2. Cum verò liberæ voluntati nihil tam contrarium sit, quàm vis ac metus, *l. 116. ff. de R. 7.* igitur renunciatio vi metuve extorta est mediante decreto rescissorio irritanda, nec Prætor id, quod metus causa contractum est, ratum habet; multo minus dat actionem ei, qui vim metumve intulit; *l. 1. pr. ff. quod met. causa*; imò Prætor deceptum ex isto capite in integrum restituit, *tot. tit. ff. quod met. caus. & Cod. de his quæ vi met. caus.* quod si verò talis metu extorta renunciatio sit jurata, juramentum nihil ominus obligat, sed in tantum solùm, ut absolutio ab eo sit petenda *text. in C. verum de jure-*

jurejur. Hartm. Pist. Lib. 4. quest. 6. not. 68. lit. ff. Bald. in C. 2. de jurejur. Corn. in auth. Sacramenta Piberum, Col. fin. C. de rescind. vend. Ludov. de Molin. de primogen lib. 2. c. 3. n. 13.

§. 3. Nec tamen ipso jure nulla est ejusmodi renunciatio, cum & coacta voluntas sit voluntas l. 21. §. 5. ff. quod met. causf. Sed necesse est, ut opponatur exceptio l. 9. pr. C. de contr. & comm. stip.

§. 4. Solum autem reverentialem metum ad rescindendam renunciationem sufficientem non putarem, maxime si sit jurata, C. *quavis X. de jurejur.* & ibi *Canonista*, nisi minæ vel verbera concurrant, vel cum metu reverentiali enormissima cohæreat læsio, nam & tunc renunciatio vitiatur, & metus ac dolus præsumitur, l. 17. §. 1. ff. *que in fraud. cred.* Mascard. de probat. Vol. 3. concl. 1264. n. 28. Crav. Cons. 11. n. 10. Menoch. *presumt.* 124. n. 14.

§. 5. Quibus modis mediisve simulata & erronea renunciations sint exterminandæ ex juribus & Doctoribus constat, ad quos imprimis vos remittere cupio. Atq; ex hisdictis haud obscure intelligetis, cur definiverim renunciationem per **JUS SÛGNÛS / Gewalt und Recht / CIVIBUS ROMANIS** competens, Quid enim mihi cum aliis gentibus jure civili non utentibus! **COMPETENS** dixi, quia non datur vel permittitur, quod de tutela dicitur *pr. Inst. de tut.* sed ex sana ratione & discursu omnium populorum competit, **AD HOC UT A SUI ACTIONIBUS INDUBIIS MOVENDIS**, legaliter discedere queant. Ut enim aliquoties innui, nolui hic quicquam agere de renunciationibus actionum aut dubiis, v. g. petitionis hereditatis adhuc deferendæ, aut planè controversis.

Hæcque de ampla & intricata hac materia pro modulo ingenii dicta sufficiant. Benevolum verò Lectorem iterum iterumq; obnixè rogo, velit hæc æqui boniq; consulere, & si alicubi cespitaverim, quod me fecisse ultro largior, ingenio judicioq; ad huc imbecilliori condonare, recordatus elogium Poetæ.

In magnis voluisse sat est
SOLI DEO GLORIA!

De-

Decas

Corollariorum.

1. Privilegium Universitati seu collegio concessum, extendit se ad omnia ejus membra.
2. Privilegia si in vim contractus abierint non possunt revocari.
3. Quod unus ex sociis universorum bonorum filia in dotem, vel filio in subsidium Studiorum dedit, societati imputandum est.
4. Qui mandati fines excessit, de residuo negotiorum gestorum actionem non habet.
5. Circumvenire se in pretio naturaliter contractibus licet.
6. Heredes non possunt venire contra pactum defuncti.
7. Commodanti rem commodatam repetenti, dominii quaestio referri nequit.
8. Dominium non recte dividitur in directum & utile.
9. Ob nuptias invito patre contractas liberi ex heredari non possunt.
10. Ex testamento in quo liberi praeteriti sunt à patre, nec legata, nec alia in ea disposita debentur.

F

Qvâ

QVâ possis causâ decedere Jure, rotundè
Et solidè, Creuzi, jure probante doces.
Scilicet in bivio monstras vestigia recta
Et doctè ostendis, quæ sit eunda Via.
ex animò gratulab.

Qvirinus Schacher / D.

P R A E S E S.

CUr de RENUNCIATIONIBUS CRUCI,
Jam differis? Juri RENUNCIARIER
Forfan placet? Quid? an RENUNCIARIER
Qvondam cupis Themistos Archipresbyter?

B. L. Svvendendorffer,
D. P. P.

Nobilitas Te commendat conjunctaqve Virtus:
Nam nunquam Virtus Nobilitate caret.

*Generoso Domino Disputanti Amico suo
suarissimo, de alterò studiorum spe-
cimine ex animo gratulatur*

D. P. F. Romanus, P. P.

Ad

Generosum & Nobilem

**DN. MELCHIOR EHREN-
FRIED A KREUZEN,**
Eqvitem Misnicum

vego Advocatis

AUG. BENED. CARPZOVII, D. & P. P.

Non tua, Nobilitas, sola est atq; unica virtus;
Ipse Tibi proprium, VIR GENEROSE, decus
Ac-

Acqviris: Nec enim veteris vestigia stirpis
Clara licet, laudi sufficere ista putas.
Sed consanguineo saturatur pectus honesto,
Cognataq; placet Nobilitate magis
Mascula multiscia formans Prudentia mentem;
Omnibus & proavis plus adamata Dea.
Dant stimulos stantes in curribus Æmiliani,
Urget sed virtus mentem animumqve
magis.

Exsuperatq; Themis Curios fractosq; Catonas.
Cogitur huic Divæ cedere Gentis amor.
Jamq; adeo, nuper quod non Academia vidit,
Nos tractare doces, Nobilis, arma fori.
Cæsareas Leges, Latiiq; anigmata juris,
Et quæ Saxo tulit tradere jura potens.
Occupat hæc nostros ingens Tua cura labores;
Et quibus officium est Jura docere, rubent.
Ingeniūq; stupent vires & grandia facta,
Nec tua, quæ loqueris, verba diserta, putant.
Hujus ego Adjutor studii, Admirator & idem
Ingenii veneror maxima dona tui.
Subfidetq; Tuis mea Musa in laudibus: Et laus
Non mea Musa Tibi est, sed Tua Diva mihi.

nondum RENUNCIAVIT ACTIONIBUS,
NOBILIS A CREUZEN, licitis! Academia
nostra

Bis disputantem vidit Octo intra dies.
SED, dicit Mopsi Momive proterva caterva:

QVI D

QVĪD TUM, LICET BIS AUT QVATER SIC DISPUTEM?
Ignorat, quantum Decorent aut talia Profiunt.

Juveni
ad Decus & Utilitatem
nato

gratulus scripsit

Fridericus Geislerus, Siles.
Phil. & J. U. D.

QVĀM fit culta Tibi Sophie, benè novimus ipsi
Ingenii testes nos studiūqve Tui,
Nunc Themis, alter Amor Tuus, è cathedra Ipsa docebit,
Ore Tuò, mentis Nobilioris opes.
QVĀM benè! Sic clypeos Majorum ornare Togatum
Fasest! Sic palmis Laurea juncta viret!

Nobiliss. Dno. Respondenti Gratul.
f.

L. Val. Alberti, P. P.

PRORumpit virtus generosæ mentis, & ardor
Ingenii magni non latitare potest.
Herculis inclaret gestis infantia rebus,
Et parvi cunæ bella cruenta vident.
Assolet à partu vibrare madentia colla,
Atqve animi celsi prodere signa leo.
Sic se mature produnt vestigia mentis
Præclaræ, KREUZI, pulpita quando subis.
Macte animo, & studiis virtutem extende, la-
bores

Non cessant dignos præmia digna sequi.

*Generoso Dn. disputanti hæc paucula
adscribere voluerunt ipsius Consalini.*

F I N I S.

X 2615905

lantz



1670, 15/6.

DISSERTATIO JURIDICA
DE

ANNUNCIATIO.
IN REBUS ACTIONUM
INDUBIARUM,

Quam
Divina Favente Gratia
Auctoritate atq; Permissu

Magnifici Jctorum Ordinis in Illustri
Academia Lipsiensi
P R E S I D E N T B
V I R O

Magnifico, Maxime Reverendo, Nobilissimo,
Amplissimo & Consultissimo

VIRINO Schachern / Jcto & Cod.
Ill. Serenissimi Electoris Saxon. ab Appellat. Consili-
fistorii nec non Facult. Juridicæ SENIORE, Capitul.
burgens. Canonico, Academiae Decemviro, undiq; q;
celeberrimo ac meritissimo

hono, Doctore ac Hospite suo etatem de venerando
publica disquisitioni exponit

Er Ehrenfried von Kreuzen / Eqves Misn.
A U T O R,

In Auditorio Jctorum Petrino
ad d. 24. Martij Anno M DC LXX,

L I P S I A,
LITERIS JOHANNIS COLERI,

Mon

